DE RERUM PRIVATARUM ANTE SOLONIS TEMPUS IN ATTICA STATU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

MARTIN WILBRANDT.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

1895.

VIRO LITTERATISSIMO HUMANISSIMO

FRIDERICO JOANNI THEODORO POLSTORFF

THEOLOGIAE DOCTORI

MAGNI DUCIS MECKLENBURGENSIS A CONSILIIS CONSISTORII

AVUNCULO MEO MIHI DILECTISSIMO

CUI PRO SUMMIS EIUS IN ME BENEFICIIS

GRATIAS HABEO QUAM MAXIMAS

S.

AD AMPLISSIMUM PHILOSOPHORUM ORDINEM
HAC DE COMMENTATIONE RETTULIT:
Professor Dr. v. Arnim.

Solon quid de rebus privatis instituerit, etiam minus accurate sumus edocti quam de legibus ejus atque institutis ad res publicas spectantibus. Nam et Aristoteles in libro de re publica Atheniensium ante hos paucos annos invento pauca tantum et quasi praeteriens, quippe qui de totius civitatis statu ac moribus quoque usi essent publico jure Athenienses agere sibi proposuisset, de mutata ab illo condicione privatorum memoriae prodidit et omnino veteres scriptores rei jucundidate ac magnitudine allecti magis rem publicam a legislatore constitutam spectabant. At leges illae Solonis de rebus privatis latae dignissimae fuerunt, quae summis laudibus efferrentur. Quis enim melius judicare potest, quid hic maxima usus et justitia et sapientia ad mitigandam miseram pauperum atque aere alieno oppressorum hominum condicionem effecerit quam ipse Solon? Cujus carmina adeunti dubium esse non potest, quin maxime in eo glorietur, quod pauperes, obaerati, oppressi ex acerbissima miseria a se erepti sint. Cujus rei testem Terram magnam deorum matrem invocat et aperte de se pradicat se omnia, quae concedi poterant, populo dedisse. (Sol.

apud Arist. Rpbl. c. 12; cf. fgm. 36 Bgk.)[1] Eodem Aristotelis capite hos Solonis versus legimus:

δήμῳ μὲν εἰ χρὴ διαφάδην ὀνειδίσαι,
ἃ νῦν ἔχουσιν οὔποτ᾽ ὀφθαλμοῖσιν ἂν
εὕδοντες εἶδον.

Quibus gravibus viri praestantissimi verbis minime ea sufficere videntur, quae de ejus gestis feruntur a veteribus scriptoribus. Nam praeter id, quod obaeratorum debita sustulit et delevit (quibus deletis deminutio pretii nummorum, quod attinet ad condicionem aere alieno obrutorum, nullius momenti erat, v. de Wilam. Ar. u. Ath. I p. 42 sqq.) singula tantum praescripsisse dicitur. Ut exempla afferam, propter aes alienum quemquam venire vetuit, testamenta fieri permisit, de dotibus quaedam praescripsit. Alia postea commemoranda mihi sunt. Sed si nihil majus fecit, jure quaesiverit quispiam, num in haec verba illa quadrent. Nam ad tempus quidem summa miseria populus levatus fuisset, sed non cautum in posterum, ne mox plane eadem mala miserrimis renascerentur praeter servitutem. Ea

---

[1]) Tradita haec sunt:

ἐγὼ δὲ τῶν μὲν οὕνεκ αξ. νηλατον (vel ἀξ. νηγαγον)
δῆμον τι τούτων πρὶν τυχ[ῶ]ν (vel τυχ[εῖ]ν) ἐπαυσαμην·
συμμαρτυροίη ταῦτ᾽ ἂν ἐν δίκῃ χρόνου
μήτηρ μεγίστη δαιμόνων [Ὀλυ]μπίων
ἄριστα, Γῆ μέλαινα, τῆς ἐγώ ποτε
ὅρους ἀνεῖλον κ. τ. λ.

Primos duos versus Kaibel (Stil u. Text der πολ. Ἀθ. d. Ar. p. 149) cum de Wilamowitzio sic restituit:

ἐγὼ δὲ τῶν μὲν οὕνεκ᾽ ἀξονηλατῶν,
δῆμόν τι τούτων πρὶν τυχ[εῖ]ν, ἐπαυσάμην,

quae de Wilam. (Ar. u. Ath. II p. 310) sic interpretatur: *‚Weswegen ich, als ich den Wagen des Staates lenkte, aufgehoert*

quoque, quae viri docti multa atque varia et de causis, quibus mala id temporis populi condicio orta sit, et quomodo Solon posteritati consuluerit, suspicati sunt disseruеruntque, partim non consentiunt cum legibus, quas eum tulisse scimus, partim non ea laude, quam jure viro sapientissimo deberi probaturum me esse spero quamque ipse sibi postulat, videntur digna.

Nonnulli viri docti, ut Landwehr (Fleckeisen. annal. tom. V) et Welzhofer (Gesch. des Orients u. Griechenlands im 6. Jahrh. v. Chr. p. 189 sqq.), eo quod frumento aliunde Athenas importato domesticorum fructuum pretium deminutum esset agricolas Atticos in inopiam incidisse censuerunt. Hoc ut non plane falsum sit, rem omnium summam certe non tangit. Concedatur per se stare posse sententiam eo agricolas Atticos in aes alienum incidisse, quod crescente mercatorum commercio pretium eorum, quae agri efferebant, deminutum esset, quod aes plus valere coepisset quam terra editum; eadem de causa paucos divites, pauperes permultos factos esse, cum ei,

---

habe, ehe der Demos etwas hiervon bekam, das soll mir vor dem Richterstuhle der Ewigkeit die Mutter Erde bezeugen, aus der ich die Schuldsteine entfernt habe.' Quaerendum autem, cur Terram hoc loco poëta invocet. Ipse hoc dicit: Quia ὅροις illis eam liberavit. Sed hoc testimonio non ea confirmantur, quae legislator facere noluit, immo ea, quae effecit, ut Terram Atticam populumque Atticum malis exsolveret. Itaque altera Plattii et Blassii lectio accipienda mihi videtur:

ἐγὼ δὲ τῶν μὲν οὕνεκα ξυνήγαγον
δῆμον, τί τούτων πρὶν τυχ[εῖ]ν ἐπαυσάμην;

Haec vir doctissimus de Arnim me docuit, ut nostro sermone utar, sic verti posse: ‚*Von den Dingen, um deren willen ich das Volk um mich scharte, — was von diesen Dingen hatte es noch nicht erlangt, als ich aufhoerte?'*

quibus magnus fundus erat, melius sua servare possent quam ζευγῖται qui nominabantur et θῆτες et partim e commercio, cujus cives Atticos participes fuisse ipsius Solonis exemplum docet, partim ex indigentia plebis fructum perciperent. Sed haec legibus a Solone latis mutata esse nec memoriae proditum est nec viri docti contendere sunt ausi. Quis enim ausit contendere mercatorum commercium a Solone restrictum repressumque esse? Plane contraria egit (Plut. vit. Sol. c. XXII): Ὁρῶν δὲ .... τὰ πλεῖστα τῆς χώρας ἀγεννῆ καὶ φαῦλα, τοὺς δὲ χρωμένους τῇ θαλάττῃ μηδὲν εἰωθότας εἰσάγειν τοῖς μηδὲν ἔχουσιν ἀντιδοῦναι, πρὸς τὰς τέχνας ἔτρεψε τοὺς πολίτας κ. τ. λ. Itaque commercium auctum si sola vel principalis causa fuit, qua deminuto pretio eorum, quae ex agris redibant, agricolae pauperes existebant, fieri non potuit, quin etiam magis post Solonis tempora quam antea, crescente nimirum eorum numero, qui mercatura quaestum sibi peterent, agrorum possessores, id est Atheniensium maxima pars, malis imbuerentur. Malo igitur similis medico Solon ad tempus quidem sedasse dolores, sed ne mox eadem mala redirent non videtur cavisse, nisi forte conjicias, id quod esset ex illa sententia, eum id egisse, ut vectigalibus frumento, quod importaretur, impositis domesticorum fructuum pretium tantum redderet, quantum minorum quoque praediorum dominis satis esset vel talem, ut, quae nostrae sunt aetatis, nostro sermone appellem, eum fuisse legislatorem, qualem nos ‚Schutzzöllner‘ dicimus. Qua a ratione plane eum afuisse contendo. Tantum enim aberat, ut eorum, quae agri edebant, pretium arte et

consilio efferret, ut frumentum exportari ex Attica vetaret (Plut. vit. Sol. c. XXIV): Τῶν δὲ γινομένων διάθεσιν πρὸς ξένους ἐλαίου μόνον ἔδωκεν, ἄλλα δ' ἐξάγειν ἐκώλυσε. Qua ex re cum appareat cavisse eum e contrario, ne pretium victus efferretur, — aliud enim hujus legis consilium invenies nullum, — non audiendi sunt, qui eam fuisse gravissimam miseriae populi causam censent, quod commercio crescente agricolae fruges viliore pretio vendere cogerentur.

Alterum est, quod huic sententiae obstat. Solonis tempore summa potestas penes eos erat, qui agrorum suorum numero magnitudineque excellebant. Nam etiam Solon maximam potestatis partem eis concessisse fertur, qui magnum agri modum censebantur. Neque potuit id, quod τιμοκρατίαν nominant, aut retinere aut instituere, nisi ejus tempore agris divites plurimi iidem fuissent qui nobilitate prisca auctoritateque in re publica praeter ceteros florerent. [2]) Hos tu putas admisisse, cum omnia in re publica possent, leges, quae frumenta sinerent importari ita portoriis expedita, ut agris Atticis vilitas fieret? Immo non minus ac Romae etiam Athenis rerum status is erat, ut, qui agris divites essent, minorum fundorum dominos premerent et suis rebus servire cogerent. Hoc Aristoteles testatur, qui populi malae condicionis

---

[2]) Rectissime de Wilamowitz Ar. u. Ath. II p. 55: *Die grossen Geschlechter innerhalb des Adels hatten das Prestige des grossen Grundbesitzers, auch wohl das frueherer selbststaendiger Herrschaft, und die moderne Gesellschaftsordnung sicherte und mehrte ihre Macht, als die Wirtschaft kapitalistisch ward.* Cf. Solon. ap. Ar. Rpbl. c. 12: οὐδὲ (sc. ἁνδάνει μοι) πιεί[ρ]ας χθονὸς πατρίδος κακοῖσιν ἐσθλοὺς ἰσομοιρίαν ἔχειν.

causam inde repetit, quod ἡ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν. Itaque illi sententiae plane contraria statuenda esse puto. Non quia minoris, sed quia pluris stabant ea, quae ad vivendum necessaria erant, agricolae Attici in aes alienum inciderunt. Ut enim apud omnes gentes populosque deposita et mansuefacta barbaria humanior vitae cultus poposcit, ut variis magis atque pluribus rebus homines ad vitam excolendam egerent, ita in Attica quoque cultior vitae usus effecerat, ut minorum praediorum possessores jam non haberent, unde omnia sumerent, quae ad victum cultumque pertinebant. Facere igitur non poterant, quin se suosque alendi causa non suos tantum, sed aliorum quoque agros colerent vel alio quodam modo se sustentarent. Quod quo pluris res ad vitam necessariae stabant, eo difficilius fieri potuit. Nam hodie quoque videre licet, quam non sit utile pretium rerum ad vivendum maxime necessariarum portoriis auctum eis agricolis, quibus tam parvus fundus est, ut nihil vendere possint. Itaque ex parte quidem populi miseria tunc temporis, cum agricolae mentes suas corporaque pluribus assuefecissent, naturaliter orta, ex parte autem magnorum fundorum dominorum avaritia aucta erat. Qua enim ratione eis rebus, quibus pauperrimi egere non poterant, caritas illata sit, apertum fit e lege Solonis supra commemorata nihil nisi oleum exportari concedente. Divites nimirum frumenta aliasque res exportando duplex commodum sibi paraverant, cum et alibi quaestum sibi peterent et domi usuum pretium efferrent. Itaque qui parvos fundos habebant, licet impigerrime laborarent, aere alieno demergebantur.

Contra cum non multi tantum agrorum possiderent, ut frumenta exportando quaestum sibi petere possent, qui pauci exstiterint divites intellegimus.

Hoc autem modo cognovisse quidem videmur, quibus de causis agricolae in aes alienum inciderint, sed nondum recte perspexisse, quibus rebus permulti ita in angustias adducti sint, ut servitutem non jam possent effugere. Praeterea obaeratorum debitis deletis quibus usus sit Solon rationibus, ut posterorum quoque saluti prospiceret, non invenimus, nisi quod ejus legem frumenta ex Attica exportari vetantem commemoravimus. Quae lex quamvis non parvi mihi videatur fuisse momenti, tamen in vestibulo ejus, quae nobis proposita est, quaestionis adhuc versati sumus. Age igitur, accuratius inquiramus et quid de rerum privatarum statu, ad quem mutandum Solon aggressus sit, erui possit, et quid de Solonis singulis rationibus statuendum sit.

Solonis res privatas mutantis singulas rationes veteres rettulisse, de consilio omnibus communi tacuisse supra invenimus. Cujus rei variae fuisse causae possunt. Aristoteles certe noluit in libro de re publica Atheniensium scripto de his legislatoris actionibus plura afferre, cum non ad formam rei publicae spectarent. [3]) In Politicis enim nonnulla de

[3]) Assentiri non possum de Wilamowitzio (Ar u. Ath. I p. 57) haec scribenti: ‚*Worauf es ihm* (sc. Aristoteli) *ankam, das war nur eines, und das hebt er scharf und deutlich hervor: Der wirtschaftliche Notstand, der in den Frohnden und der Schuldknechtschaft des niederen Volkes lag.*‘ Hoc enim in libro de re publica Atheniensium conscripto maxime eum spectasse permirum esset. Voluit igitur mea quidem sententia rem publicam a Solone constitutam mutatamque describere. Sed

Solonis rationibus ad res privatas pertinentibus idem auctor jam antea narraverat, quae in Rpbl. Ath. silentio praeteriit. Praeterea hoc loco (Rpbl. c. 6): κύριος δὲ γενόμενος τῶν πραγμά[τω]ν Σόλων τόν τε δῆμον ἠλευθέρωσε, καὶ ἐν τῷ παρόντι καὶ εἰς τὸ μέλλον, κωλύσας δ[ανε]ίζειν ἐπὶ τοῖς σώμασιν, καὶ νόμους ἔθηκε, καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς ἐποίησε καὶ τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων, ἃς σεισάχθειαν καλοῦσιν, κ. τ. λ. verba καὶ νόμους ἔθηκε demonstrant plures fuisse notas philosopho leges, quas afferre noluit, quippe qui ne νομοθεσίᾳ quidem, quam dicit, attribuerit ea, quae Solon de rebus privatorum constituit [4]) (Rpbl. c. 10): πρὸ δὲ τῆς νομοθεσίας ποιῆσα[ς τὴν τῶν χρ]εῶ[ν ἀπο]κοπήν, καὶ μετὰ ταῦτα τήν τε τῶν μέτρων καὶ σταθμῶν καὶ τὴν τοῦ νομίσματος αὔξησιν. Quae nomine νομοθεσίας Aristoteles complexus est, capp. 7—8 inclusa sunt; quae omnia ad rem publicam pertinent. Jure igitur colligemus ad rem publicam constituendam non prius Solonem aggressum esse, quam rebus privatis ordinandis totum illud perfecisset, quod quasi fundamentum sibi esset aedificanti. Ejusdem rei testis est Plutarchus, apud quem legimus (vit. Sol. c. 16) aliquid intercessisse temporis inter rerum privatarum compositionem et rei publicae constitutionem. Primum enim privatorum condicione

---

facile concedo hanc rem leviter eum tractasse magisque quam legibus obsoletis allectum delectatumque esse viri sapientissimi carminibus. In his cum ea potissimum, quae ad tollendam populi miseriam fecerit, poëta praedicet, eam ob causam Aristotelem quoque hujus rei magis quam pro libri sui consilio rationem habuisse censeo.

[4]) Eandem ob rem Kaibel, St. u T. d. πολ. Ἀθ. d. Ar. p. 134 priore illo loco verba καὶ νόμους ἔθηκε delenda esse censet. Sed quamvis verbo νομοθεσίας Arist. leges res publicas spectantes

mutata omnes fere Soloni irascebantur, alteri quod τὰ συμβόλαια ἀνεῖλεν, alteri quod γῆς ἀναδασμὸν οὐκ ἐποίησεν (vit. Sol. c. 16). Pergit Plutarchus: Ταχὺ μέντοι τοῦ συμφέροντος αἰσθόμενοι καὶ τὰς ἰδίας αὐτῶν μέμψεις ἀφέντες ἔθυσάν τε κοινῇ, σεισάχθειαν τὴν θυσίαν ὀνομάσαντες, καὶ τὸν Σόλωνα τῆς πολιτείας διορθωτὴν καὶ νομοθέτην ἀπέδειξαν. Optime igitur traditum est primas res privatas a Solone compositas esse. Quam ob rem facere non possum cum Schoellio (‚ueber attische Gesetzgebung', Sitzungsber. der koenigl. bayr. Akademie der Wissenschaften 1886 p. 87 sqq.), cujus e sententia nullo alio ordine quam pro magistratuum officiis et muneribus leges Solonis axonibus inscriptae erant. Primum enim cum ad res privatas ordinandas legislator aggrederetur, leges huc spectantes primis axonibus eum inscripsisse verisimillimum est. Primo in axone lex supra commemorata frumenta exportari vetans legebatur (Plut. vit. Sol. c. 24), praeterea in eodem quantum victus viduis orbisque praebendum esset definitum fuisse scimus (Harpocr. s. v. σῖτος). Recte quidem Schoell (l. a. p. 89 sq.): ‚*Wie konnten zwei so disparate Gegenstaende sich auf derselben Gesetzestafel zusammenfinden?*' Neque ego nego, quia primi archontis haec erant, Solonem res privatas ordinantem eidem

---

solas complectatur, tamen de rebus privatis quoque Solonem leges tulisse qui potuit negare? Cf. c. 11,2, ubi de eis, quae in rebus privatis mutandis Solon et fecit et facere noluit, sermo fit, postrema verba: εἵλετο πρὸς ἀμφοτέρους ἀπεχθέσθαι σώσας τὴν πατρίδα καὶ τὰ βέ[λτι]στα νομοθετήσας. Quae ejusdem libri p 81 sq. de congruentia aequalitateque periodi illis verbis turbata disseruit, praetermitto, cum ipse Kaibel dicat: ‚*wenn auch zu ihrer Streichung ernstere Gruende die Veranlassung gegeben haben.*'

axoni ea tribuisse. Sed cum non uno eodemque tempore Solonem res privatas, publicas, sacras composuisse pro certo habendum sit, non solum temporis, sed etiam axonum ordine eas secretas fuisse puto. Plutarchus enim c. 19, postquam inde a capite 17 de ea, quam Aristoteles nomine νομοθεσίας complectitur, rei publicae constitutione egit, legem quandam ad res publicas spectantem in tertio decimo axone inscriptam fuisse dicit. In sexto decimo axone quae munera sacerdotibus deferenda essent definitum erat (Plut. vit. Sol. c. 23). Sed jam haec mittamus et ad ea revertamur, quae nobis proposita sunt, ut de rebus privatis, ad quas mutandas Solon aggressus sit, quid statuendum sit quaeramus.

Ac primum quidem inferioris populi Atheniensium partis miseriam, ad quam leniendam Solon, priusquam rem publicam constitueret, aggressus est, oculis nostris proponamus. Quae quanta fuerit testis est Plutarchus (vit. Sol. c. 13). Paucos narrat fuisse divites, pauperes permultos, quos omnes (ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων) aere alieno ita obrutos fuisse, ut aut fructuum sextam partem creditoribus persolvere deberent ideoque ἑκτημόριοι nominarentur aut in servitutem abstraherentur. Quin etiam coactos fuisse miserrimos Plutarchus tradit, ut uxores et liberos ipsi venderent. Aptam sane ad misericordiam commovendam populi miseriae descriptionem! Tamen hunc posterioris aetatis scriptorem summam obaeratorum miseriam narratione sua non consecutum esse ex libro videmus ab Aristotele de rep. Ath. conscripto. Non pependisse videntur ἑκτημόροι illi (hac

vocis forma Aristoteles utitur) sextam fructuum partem, sed haec sola eis relinquebatur, ex qua victum sumerent (Rpbl. c. 2): καὶ δὴ καὶ ἐδούλευον οἱ πένητε[ς τοῖς] πλουσίοις καὶ αὐτοὶ [καὶ τ]ὰ τέκνα καὶ αἱ γυναῖκες, καὶ ἐκαλοῦντο πελάται καὶ ἑκτημόροι· κατὰ ταύτην γὰρ τὴν μίσθωσιν [εἰ]ργάζοντο τῶν πλουσίων τοὺς ἀγροὺς (ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν) καὶ [εἰ μὴ] τὰς μισθώσεις [ἀπ]οδιδοῖεν ἀγώγιμοι καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ παῖδες ἐγίνοντο, καὶ ο[ἱ] δα[νεισ]μ[οὶ π]ᾶσιν ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἦσαν μέχρι Σόλωνος.[5]) Ex his philosophi verbis cognoscitur quidem falsam esse Plutarchi de ἑκτημόρων condicione relationem, sed quid interfuerit inter πελάτας et ἑκτημόρους intellegi nequit. Ea quoque, quae Photius et Hesychius de his nominibus adnotant, non magno fructui nobis sunt. Hesychius de v. ἑκτημ. haec praebet: οἱ ἕκτῳ μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες, de v. πελάται haec: οἱ διὰ τὴν ἀναγκαίην τροφὴν μισθῷ δουλεύοντες, Photius s. v. πελάται· καὶ θῆτες οἱ αὐτοὶ (cf. Plut. vit. Sol. c. 13) καὶ ἑκτήμοροι. Quae cum ferantur inter se discrepantia et difficilia ad intelligendum a veteribus scriptoribus, mirum non est, quod hodie viri docti his de rebus minime consentiunt. Thumser (Staatsaltertuemer p. 336) duobus nominibus πελατῶν et ἑκτημόρων eosdem homines appellatos fuisse censet. Nam ἑκτημόρους quoque victus causa dominis divitibus servientes fuisse vult.

---

[5]) In fine hujus loci Blassii lectionem secutus sum, quia Kaibel quoque (St. u. T. etc. p. 118) Blassium cap. 4,5 rectissime ἐπὶ δὲ τοῖς σώμασιν ἦσαν οἱ δανεισμοί legisse confirmat. Idem vir doctus haec addit: ‚*Aehnlich* δανείζειν ἐπὶ τοῖς σώμασιν *6,1 und Plut. Sol. 13* χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, *vgl. auch Inschrift von Ephesos* (*Gr. Inscr. Brit. Mus. III, 2, 477, 65*) ἐπὶ κτήμασιν δεδανεισμένοι. *Wird aber* οἱ δανεισμοί *als richtig zugegeben, so ist* [π]ᾶσιν *die einzig moegliche Ergaenzung.*‘

Cum hoc viro docto consentit Busolt, cum dicit (Mueller H. B. IV, 1, p. 136): *,Der groessere Teil des Grund und Bodens war in den Haenden einer kleinen Anzahl reicher Maenner. Ihre Begueterungen wurden von armen Landleuten bewirtschaftet, die mit Weib und Kind den Grundherren dienstbar waren und* πελάται *oder* ἑκτημόροι *hiessen, weil sie fuer die Feldbestellung ein Sechstel des Ertrages erhielten und fuenf Sechstel an die Grundeigentuemer abliefern mussten. Aristoteles sagt, wenn sie den Pachtzins nicht ablieferten, so etc.'* E Busolti igitur sententia totus ille, quem attuli, Aristotelis locus ad idem hominum genus pertinet. Similiter Kaibel de hoc loco judicat (St. u. T. etc. p. 117 sq.): *,Das Folgende haengt so zusammen* κατὰ γὰρ ταύτην τὴν μίσθωσιν εἰργάζοντο τῶν πλουσίων τοὺς ἀγρούς — καί εἰ μὴ τὰς μισθώσεις ἀποδιδοῖεν, ἀγώγιμοι. *Dazwischen tritt die Parenthese* ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν, *als Erklaerung dafuer, was die* πλούσιοι *als Latifundienbesitzer besagen wollen. Der Numeruswechsel* μίσθωσιν *und* μισθώσεις *erleichtert das Verstaendniss fuer die verschiedene Bedeutung ,Pachtvertrag' und ,Pachtgeld'.'* Contra de Arnim, qui multa mecum hac de re disseruit, ad tria hominum genera locum allatum spectare existimat. Πελάτας quidem victus causa dominis suis servientes fuisse, ἑκτημόρους autem colonos, qui fructuum partem a divitibus agrorum possessoribus acciperent (ut ipsis ejus verbis utar *,auf Tantième angestellte Administratoren'* vel *,Wirtschafter mit Beteiligung am Gewinn')*, eamque ob rem nec ad hos nec ad illos verba καὶ εἰ μὴ τὰς μισθώσεις ἀποδιδοῖεν pertinere, sed ad homines ex aere alieno laborantes referenda esse. Id enim, de quo toto illo loco agatur,

τοὺς πένητας esse, quorum plura genera philosopho ante oculos versari. Cujus viri docti sententia multo magis mihi arridet quam illa Thumseri, Busolti, Kaibelii. Aristoteles cum malam populi condicionem, ad quam mutandam Solon aggressus esset, l. a. describeret, de eis, quos aere alieno oppressos Solonis χρεῶν ἀποκοπή e miseria eripuit, qui potuit tacere? Dubium enim non est, quin verba καὶ ο[ἱ] δα[νεις]μ[οὶ π]ᾶσιν ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἦσαν μέχρι Σόλωνος antecedentibus explicationi addita sint. Sed priore quoque in parte loci Aristotelis jure exspectamus sermonem fieri de eis, qui aere alieno conflato in miseriam inciderint. Ei enim, qui nihil suum habebant, quin operam suam locupletioribus locarent Solon nullo modo impedire potuit. Quam ob rem coluerunt certe ei, qui ἑκτημόροι facti erant, quondam agros paternos aere alieno vacuos vel a patribus agros suos colentibus prognati erant, cf. de. Wilam. (Ar. u. Ath. II p. 58): ‚*Wie rasch ist bei einer Verzinsung von 20 Procent der Bauer gelegt; er muss zufrieden sein, wenn er nicht als Sklave uebers Meer verkauft wird, sondern auf dem Erbe seiner Vaeter weiter arbeiten darf, fuenf Garben fuer den Herrn, die sechste fuer sich.*‘ Censet igitur vir doctissimus coactos fuisse agricolas miserrimos ut ἑκτημόροι fierent positumque fuisse in potestate divitum creditorum, ut eos in officio claudicantes aut venderent aut domi servos facerent. Quod qui fieri potuerit, si ea, quae est communis virorum doctorum opinio, probanda est, equidem intelligere non possum. Omnes enim viri docti agricolarum debentium fundos hypothecae nomine obligatos fuisse atque, si solvendo

non erant, ad creditores pervenisse consentiunt. Agris igitur, non agrorum dominis creditores potiri potuisse jure exspectamus. An legem tibi excogitare potes ea iniquiorem, quae non solum agros debitorum divitibus concesserit, sed etiam agricolas cum liberis et uxoribus vendendos eis tradiderit? Agri si revera hypothecae nomine obligati erant ea condicione, ut creditorum fierent, si debitores solvendo non essent, cur corpora quoque debentium agricolarum pignori data fuerint nullam aptam invenies causam. At fortasse erant, qui supra fundi pretium aere alieno contracto non solum agros, sed etiam corpora sua pignori darent. Hi cum ne sperare quidem possent tanto ex aere alieno umquam emersuros se esse, multos, cum adhuc patriam ac libertatem sibi servare possent, hanc in perniciem incurrisse verisimile non est. Quorum certe ne major quidem pars servitutem effugit. Creditores enim non solum eis venditis pecuniam sibi parare poterant, sed etiam majus commodum nanciscebantur servis quam agricolis, quibus uxor et liberi alendi erant, agros colentibus. Accedit, quod molestum divitibus erat, ut E. Meyer (Gesch. d. A. p. 642) recte dicit, eos, qui olim liberi fuerant, pro servis habere. Nomen autem ἑκτημόρων docet non de paucis, sed de multis eadem in condicione viventibus cogitandum nobis esse. Praeterea non eos tantum, qui nihil jam haberent, quod hypothecae nomine obligari posset, sed omnes debentes corpora sua pignori dedisse Aristoteles dicit: [καὶ οἱ δανεισμοὶ πᾶσιν ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἦσαν (cf. ann. 5)]. Iam igitur in aperto est non ordiendum esse, ut rerum

privatarum ante Solonis tempus status cognoscatur, a loco Aristotelis allato, cum ex hoc solo de singulis rebus nihil certum effici possit. Sed quaecumque fuit ἑκτημόρων aliorumque aere alieno in perniciem adductorum hominum condicio, tamen non minus aperte quam Plutarchi verba: ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων Aristotelis ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν (c. 2 et 4) et τῶν πολλῶν δουλευόντων τοῖς ὀλίγοις (c. 5) docent totam fere populi inferiorem partem in rebus adversis aere alieno contracto versatam esse. Viri docti, ut Busolt (Gr. Gesch. ed. I p. 522) et Ed. Meyer (Gesch. d. A. p. 643), judicaverunt Plutarchum et Aristotelem rem exasperasse. Quod quo jure censuerint Solonis carminibus examinandis disceptemus.

Solonis carminum fragmenta, quamquam libro Aristotelis de rep. Ath. invento aucta, non multos pro numero eorum, quos vir sapientissimus fecit, continent versus. Nobis eorum tantum carminum ratio habenda est, quae πολιτικά nominari possunt, seclusis eis, quae in tyrannos fecit. Talium sex vel septem [6]) carminum fragmenta exstant, quae haud multo amplius centum versus continent. In his nusquam fere de re publica aut constituenda aut constituta, sed de miseria populi aut sananda aut sanata, de divitum superbia, de nimiis inferioris populi partis cupiditatibus, id est de rebus privatis uberrime poëta egit. Haec carmina, quae et

---

[6]) Br. Keil in libro, qui inscribitur ‚*Die solonische Verfassung in Aristoteles Verfassungsgeschichte Athens*', Aristotelem capite quinto e duabus elegiis eos, quos affert, versus hausisse censet (p. 42 sqq.). Cf. de Wilam., Ar. u. Ath. II, p. 304 sq.

Aristotelem et Plutarchum adiisse constat (v. de Wilam. Ar. u. Ath. I p. 302 sq.), si nos quoque integra legeremus, multo sane et plura et certiora de rerum privatarum id temporis statu cognita haberemus. Sed jam nostris contenti fragmenta servata adeamus.

συμμαρτυροίη ταῦτ' ἂν ἐν δίκῃ χρόνου
μήτηρ μεγίστη δαιμόνων Ὀλυμπίων
ἄριστα, Γῆ μέλαινα, τῆς ἐγώ ποτε
ὅρους ανεῖλον πολλαχῇ πεπηγότας,
πρόσθεν δὲ δουλεύουσα, νῦν ἐλευθέρα.
πολλοὺς δ' Ἀθήνας, πατρίδ' εἰς θεόκτιτον,
ἀνήγαγον πραθέντας, ἄλλον ἐκδίκως,
ἄλλον δικαίως, τοὺς δ'ἀναγκαίης ὑπὸ
χρειοῦς φυγόντας, γλῶσσαν οὐκέτ' Ἀττικὴν
ἱέντας, ὡς ἂν πολλαχῇ πλανωμένους,
τοὺς δ' ἐνθάδ' αὐτοῦ δουλίην ἀεικέα
ἔχοντας, ἤθη δεσποτῶν τρομευμένους,
ἐλευθέρους ἔθηκα. (fgm. 36 Bgk.)

Quatuor in versibus allatis miserorum, qui ab exitio ad salutem revocati sint, genera distinguuntur. Primi versus (5 - 7) ad agricolas aere alieno oppressos spectant. Multos deinde (vv. 8—10) poëta ait a se in patriam reductos esse servitutem in terris externis passos, quorum alii legum judiciorumque poenis obligati, alii potentium vi abrepti fuissent. Hoc, ut servos, qui cives Attici fuerant, e terris alienis in patriam reduceret, quomodo legislator effecerit quamvis demonstrari nequeat, tamen haec quaestio non plane praetermittenda mihi videtur, quod fuerunt, qui eam in medium proferrent et negarent cives

Atticos peregre servorum munere functos a Solone redemptos esse. Intellegi enim non posse, unde ille tantum pecuniae sibi parare potuerit. Accedere quod, etiamsi argento Solonem non caruisse ponatur, tamen nullo modo qua ratione redemptio facta sit animo concipi possit, nisi forte ipsum legislatorem omnes civitates hanc ob causam circumiisse credamus. Itaque verba illa nihil aliud spectare quam libertatem civitatemque domi redditas, quibus contigisset in patriam reverti. Quae si recte disputata sunt, optimo jure contendat quispiam: Tali modo si multi a Solone reducti sunt, efficitur, ut ingentem hominum Atticorum libertate privatorum numerum extra patriam versatos esse credamus. Prius nimirum ad eorum, quibus servi originis Attici erant, quam ad ipsorum servorum a contionibus, nedum ab interioribus consiliis segregatorum aures fama rationum, quascunque Solon adhibuit ad solvendos e servitute aliena cives suos, perlata est. Sed tam mira illa argumentandi ratio est, — servos enim fugitivos admittere et in civium numerum recipere, num id eos reducere nominari potest? — ut has Landwehri (l. a. p. 135 sq.) dubitationes silentio praeteriissem, nisi illud verum esset, magnas sine dubio difficultates Soloni obstitisse ad tale opus aggredienti. Argento quidem, quo servos redimeret, eum caruisse argumentis firmari nequit (cf. de Wilam. II, 62). Attamen conquirere et redimere passim dissipatos ardua certe res erat. Quam ob rem, cum tamen multos patriae libertatique redonare Soloni contigerit, haud parvum profecto hominum Atticorum numerum in servitutem

abstractum fuisse apparet. Fuisse pergit poeta (vv. 10—12), qui necessitate coacti creditores timentes fuga patriam relinquerent. Postremi commemorantur, qui in ipsa Attica servi facti erant vel servis haud dissimiles domi versabantur. Quibus singulis miserorum generibus quam multi attribuendi sint quamquam ne obiter quidem computari potest, tamen ex verbis ὅρους πολλαχῇ πεπηγότας, πολλοὺς .... πραθέντας, πολλαχῇ πλανωμένους permagnum perniciei ereptorum numerum poetae ante oculos versari elucet. Adde quod permultis eis, quos poëta affirmat a se in meliorem fortunam restitutos esse, permulti annumerandi sunt alii infortunati, quorum condicio a legislatore mutari non poterat. Verisimile enim non est, ut supra dixi, majorem eorum, qui in periculo esse coeperant, partem ita fuisse amentia caecos, ut aere alieno supra patrimoniorum pretium contracto nullam aliam salutem sibi ipsis relinquerent quam fugam e patria. Agricolarum obaeratorum certe haud pauci tristi aliorum exemplo perterriti fundis sponte relictis creditoribusque concessis aliam vitae condicionem secuti sunt, ut patriam ac libertatem sibi servarent. Mirum quidem est, quod nec Aristoteles nec Plutarchus hanc servitutis evitandae facultatem, quae patebat agricolis ex aere alieno laborantibus, tetigerunt, immo omnes, qui solvendo non fuissent, cum uxoribus et liberis veniisse affirmant. Hoc quamquam infra explicaturum me esse spero, tamen pro tempore ea, quam ingressus sum, argumentandi ratio servanda est. Itaque nunc magno miserorum gregi eos quoque annumerabimus,

qui nihil nisi patrimonia sua perdiderant. Iam videmus optime Solonis versus modo examinatos illustrare verba Aristotelis: ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν et Plutarchi: ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων. Etiam majoris momenti in hac quaestione elegiarum, quas quidem nos scimus Solonem, antequam archon factus esset, composuisse alterius (fgm. 4 Bgk.) versus 23—28 hi sunt:

ταῦτα μὲν ἐν δήμῳ στρέφεται κακά· τῶν δὲ πενιχρῶν
ἱκνοῦνται πολλοὶ γαῖαν ἐς ἀλλοδαπὴν
πραθέντες δεσμοῖσί τ' ἀεικελίοισι δεθέντες,
⟨καὶ κακὰ δουλοσύνης στυγνὰ φέρουσι βίᾳ.⟩ [7])
οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ,
αὔλειοι δ' ἔτ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι.

Interpretatione maxime egere mihi videtur vs. 23. Cavendum enim ne verbis ἐν δήμῳ postrema versus verba τῶν δὲ πενιχρῶν ita opposita ducas, ut οἱ πενιχροί ei habendi sint, qui nullis praediti fundis et rei publicae expertes in civibus, quos verbo δήμου complexus sit poëta, non sint numerati. Eis enim Solonis carminum locis, quibus δῆμος hominum Atticorum partem significat, non pauperes inopesque, sed e contrario divites, potentes, nobiles oppositi sunt, cf. fgm. 5 Bgk.: δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον κράτος (γέρας Arist.), ὅσσον ἐπαρκεῖ, — οἳ δ' εἶχον δύναμιν καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοί, cf. fgm. 36 initium apud Arist. Rpbl. c. 12, fgm. 6 Bgk. et Rpbl. c. XII hos versus: δήμῳ μὲν εἰ χρὴ διαφάδην ὀνειδίσαι, ἃ νῦν ἔχουσιν οὔποτ'

---

[7]) Hunc versum 26 spurium esse et tres fere versus inter vs. 25 et 27 intercidisse, cum ἐκτημόρων domique servientium mentio non sit facta, suspicatur de Wilam. (Ar. u. Ath. II p. 305).

ὀφθαλμοῖσιν ἂν εὕδοντες εἶδον. ὅσοι δὲ μείζους καὶ βίαν ἀμείνονες αἰνοῖεν ἄν με καὶ φίλον ποιοίατο. Quibus omnibus locis verbo δήμου civium maximam partem nobilibus divitibusque poëta opposuit neque multo aliud hoc verbum valet quam quod apud Romanos ‚plebs'. Persuadere igitur mihi non possum solo illo loco δήμῳ oppositos esse civitatis expertes. De Wilam. quidem (II p. 305) πενιχροί sic interpretatur: ‚*Die* ὅπλα μὴ παρεχόμενοι'. Idem vir doctus hoc loco ἐκτημόρων poëtae rationem habendam fuisse censet (v. ann. 7), sed hos quoque ex parte ὅπλα παρεχομένους fuisse putat (I p. 85): ‚*Wer einen Bauernhof hatte, der 600 Medimnen eintrug, aber verschuldet war, hatte fuer sich nur 100; mochte er ehedem zur hoechsten Klasse gesteuert haben, jetzt sank er in die dritte, behielt aber auch hier seinen Platz, so lange er zur Musterung als Hoplit antrat.*' Aut hoc falsum est aut πενιχρούς, quos dicit poëta, et ὅπλα μὴ παρεχομένους non recte de Wilam. juxta aestimavit. Quae poëta dicere voluerit, aperte demonstrare videtur vs. 27, in quo verba δημόσιον κακόν opposita sunt verbo ἑκάστῳ. In priore enim hujus elegiae parte eos, quos attuli, versus antecedente Solon docuit quantas potentium superbia ediderit rei publicae totiusque civitatis ruinas (τοῦτ' ἤδη πάσῃ πόλει ἔρχεται ἕλκος ἄφυκτον· εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην vs. 17 sq.), inde a vs. 23 probare pergit his malis toti rei publicae corpori ortis singula quoque ejus membra, singulos cives circumveniri: οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἴκαδ' ἑκάστῳ (sc. τῶν δήμου ἀνδρῶν). Itaque vers. 23 et quae sequ. sic interpretor: Tantis in malis res publica versatur; singulorum autem pauperum hominum

multi in servitutem abstrahuntur. Maximi autem momenti vs. 27 dicta haec sunt: Omnium in domos publica mala aere alieno conflato irrumpunt. Non igitur Aristoteles et Plutarchus, sed ipse Solon rem exasperasse putandus nobis est, si credi posse negamus omnes fere paucorum divitum in aere fuisse. Qui ut paulum aliquid libertate poëtica usus fidem superjecerit, tamen eo usque in deneganda ipsi Soloni fide vix quisquam procedere audebit, ut de multis qui superfuerint nummos paucis illis divitibus non debentibus cogitet. Ceterum si etiam atque etiam reputaverimus quanto plures quam nobis praesto fuerint Solonis versus Aristoteli et Plutarcho de rerum privatarum id temporis statu judicantibus, praeterea ex atthidographorum ipsas Solonis leges examinantium (de Wilam. I p. 286) libris hos auctores sua hausisse, modestius sane de eorum narrationibus judicandum nobis erit. Ut unum pro multis afferam exemplum, maxime in hac quaestione dolendum nobis est, quod ea elegia, qua Athenienses, ut ait Aristoteles (Rpbl. c. 5), commoti sunt, ut Soloni rem publicam ordinandam commendarent, tota fere periit. Cujus initium hoc erat:

γιγνώσκω, καί μοι φρενὸς ἔνδοθεν ἄλγεα κεῖται,
πρεσβυτάτην ἐσορῶν γαῖαν Ἰαονίας
(καρφομένην) [8])

Aristoteles addit hac in elegia poëtam pro utrisque contra utrosque contendisse. Contendenti autem contra divites pauperum oppressores poëtae

---

[8]) suppl. Diels. Blass: καινομένην.

quam maxime id agendum erat, ut miseram aere alieno oppressorum hominum condicionem expressis verbis depingeret. Apparet quantum talis elegia legentibus praebuerit copiam, ut de hac re certiores fierent. Hoc uno exemplo monemur, ne audacius reiciamus, quae optime tradita sunt, nullos fere aut saltem non multos id temporis fuisse non obaeratos parvae mediocrisque fortunae homines.

Multo autem majoris momenti quam illud, multum an paulum aliquid Aristoteles et Plutarchus hac in re fidem superjecerint, ad rerum privatarum ante Solonis tempus statum melius cognoscendum alterum est, quod nunc quaesiturus sum. Omnes fere viri docti, quod agricolarum obaeratorum in agris ὅρους ponere mos erat, pro tradito habent liberam ante Solonis tempus fuisse agrorum possessionem. Testamentorum quidem faciendorum potestatem teste Plutarcho (vit. Sol. c. 21) Solon Atheniensibus dedit. Sed venire et condonari, imprimis autem hypothecae nomine obligari agros ea condicione, ut creditorum fierent, si debitores solvendo non essent, vetitum non fuisse ὅροι in agris obaeratorum positi testimonio videntur esse. Martin quidem, cujus commentatio ‚les cavaliers Athéniens‘ in manus mihi incidit, cum hoc opusculum meum paene exegissem, de ἑκτημόροις haec scribit (p. 52): *‚et, comme les biensfonds sont inaliénables, comme on ne peut saisir la terre, le créancier a le droit, si les engagements pris envers lui n'ont pas été remplis, de saisir tous les ans les cinq sixièmes de la récolte, ce qui amène bientôt la ruine complète et enfin l'esclavage, soit à l'étranger soit dans l'Attique, d'un grand*

nombre de débiteurs.‘ Argumentis autem satis firmis Martin fundos id temporis venire in Attica vetitum fuisse non probavit. Praeterea hic quoque vir doctus quin fundi agricolarum in servitutem abductorum ad divites creditores pervenerint non videtur dubitare (cf. l. a. p. 59). Recte igitur contra eum Thumser (p. 335 not. 6) haec monet: *‚Doch bleibt zu bedenken, dass, wenn auch der freie Verkauf der Gueter verpoent war, denn doch es moeglich sein konnte, dass Schuldner zum Verkaufe ihrer Gueter gezwungen wurden.‘* Itaque gaudeo quidem, quod una in re vir ille doctus idem sensit, quod verum esse et persuasum mihi est et probaturum me esse confido, sed singulis in rebus raro Martini judicio niti potero.

Ac primum quidem leges ne agri singulorum arbitrio permitterentur caventes non inusitatas fuisse veterrimis Graecis testimoniis quibusdam e Politicis Aristoteleis depromptis doceamus. Teste Aristotele multis in civitatibus patrimonia venire vetitum erat (1319 a), Leuca in insula hac lege sublata populus omnium rerum potestatem nactus est. Locrensibus a majoribus institutum erat, ut concederetur quidem fundorum venditio, sed non nisi extrema necessitate urgente (1266 b). In Elide Oxylus lege cavisse ferebatur, ne patrimoniorum partes pignori darentur (1319 a). Quibus testimoniis addendum est, quod Heracl. pol. II, 7 de Lacedaemoniis refert: πωλεῖν γῆν αἰσχρὸν νενόμισται. τῆς δ'ἀρχαίας μοίρας οὐδὲ ἔξεστιν, cf. Plut. qu. lac. 22: πωλεῖν δ'οὐκ ἐξῆν (sc. ἀρχαίους κλήρους). Talibus institutis veteriores Graeci impedire studebant, ne patrimoniorum numerus deminueretur. Hoc con-

silio (ὅπως ὁ ἀριθμὸς σώζηται τῶν κλήρων) Philolaus Corinthius in Boeotia leges de filiorum arrogatione tulisse ab Aristotele (Pol. 1274 b) dicitur. Eodem spectant, quae de filiabus hereditariis in civitatibus Graecis sancita erant. Recte Ed. Meyer (p. 300) ex his testimoniis conclusit tota in Graecia olim fundos venire vetitum fuisse. Itaque quin in Attica quoque tales veteres leges aliquo tempore novis legibus sublatae sint dubium non est: Soloni hoc tribuendum esse non solum testamenta fieri, sed etiam venire fundos concedenti probaturus ne nimia audere tibi videar, ad virum doctissimum de Wilamowitzium provoco haec monentem (Ar. u. Ath. II p. 47): ‚*Wir haben keinerlei Ueberlieferung ueber die Entstehung des Privatbesitzes an Grund und Boden in Attika, und es wird kaum danach gefragt. Und doch deutet alles darauf hin, dass dieser erst spaet entstanden ist.*‘ [9])

Initium capiamus a lege quadam Solonis, quam ad res privatas spectantem Aristoteles in libro de Atheniensium re publica conscripto silentio praeteriit, ab eodem auctore in Politicis (1266 b.) allata: διότι μὲν οὖν ἔχει τινὰ δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς οὐσίας ὁμαλότης, καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες, οἷον καὶ Σόλων ἐνομοθέτησεν, καὶ παρ' ἄλλοις ἔστι νόμος, ὃς κωλύει κτᾶσθαι γῆν ὅσην ἂν βούληταί τις (cf. Dionys. Hal. de Lysia c. 32). Quae lex cum testimonio videatur esse ante Solonem licuisse agros quotcunque a singulis acquiri, Busolt (Gesch. ed. pr. tom. I p. 522)

---

9) Ceteroquin computes velim, non hoc negaturum me esse, fundos singulorum res privatas fuisse, sed illud tantum, quod dixi, agris suis ad libidinem uti singulis licitum fuisse.

ex ea conclusit divitum nobiliumque agros tum quam maxime (*‚ganz unverhaeltnissmaessig‘*) praediis debitorum adjunctis auctos fuisse. Idem de Wilamowitz (Ar. u. Ath. II p. 58) inde collegit, quod tunc temporis omnes fere agricolae paucorum in aere erant multique servitute affecti. Cui viro docto hac quoque in re prorsus astipulor. Nam si ponimus quasi traditum ne agri venirent et pignori dati a creditoribus occuparentur nullam obstitisse legem, adeo paucorum divitum possessiones Solonis tempore accrevisse putandae sunt, ut parum etiam fortiter viri docti hac de re judicaverint. In numero enim eorum, qui ex aere alieno laborabant, haud dubie omnes fere parvorum mediocriumque fundorum possessores erant. Tria scimus illis temporibus fuisse in Attica hominum genera, quorum nomina haec erant: Εὐπατρίδαι, γεωμόροι (Plut. vit. Thes. c. 25) vel γεωργοί (Aristot. apud Plat. Axioch. explicatorem 253) vel ἄποικοι (Aristot. Rpbl. c. 13), δημιουργοί vel ἐπιγεωμόροι (Bekk. Anecd. 257,7). Εὐπατρίδας eos fuisse, qui nobilitate prisca praeter ceteros florebant, et traditum est a veteribus scriptoribus et ipsum nomen docet. Ad hos, quippe qui agris divitissimi essent (cf. pag. 9), Aristoteles spectare mihi videtur, cum dicit: ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν. Ceteri omnes fere (ἅπας ὁ δῆμος Plut. vit. Sol. c. 13) et γεωμόροι et δημιουργοί illorum in aere erant (cf. quae pag. 21 sqq. exposita sunt). Veteres scriptores cum haec duo hominum genera nonnunquam nomine ἀγροίκων complectantur (Dion. Hal. Antiqu. Rom. II, 8; Hesych. s. v. ἀγροιῶται), contra Eupatridas in urbe habitavisse tradant (Dion. Hal.

l. a.; Etym. M. p. 395). δημιουργούς quoque ex parte agrorum possessores fuisse verisimile mihi videtur. Fortasse fundi eorum tam parvi erant, ut, quod satis esset ad vivendum, cultoribus non praeberent. Sed jam hoc mittamus et ad illud revertamur, quod certissimum est, totam fere populi inferiorem partem, ergo etiam omnes fere parvorum mediocriumque fundorum possessores paucorum in aere fuisse. Quaerendum est utrum recte viri docti permultos jam fundos ad divites creditores pervenisse posuerint necne. Soloni quidem ὅροι πολλαχῇ πεπηγότες ante oculos versantur. Hoc non pugnare cum eo, quod agricolae permulti in servitutem abstracti erant, infra explicaturum me esse spero. Viris doctis autem, quod agros venire et pignori dari ante Solonis tempus licitum fuisse putant, poëta hac quoque in re fidem superjecisse putandus est. Teste enim Aristotele antequam Dracon leges suas ferret, id est triginta fere annis ante Solonis legislationem, πᾶσα γῆ jam δι' ὀλίγων ἦν. Hunc ad statum res vix uno saeculo pervenire poterant. Sed ne quis contra dicat ponamus per unum saeculum antequam Solon, ut ipse ait, agros liberos redderet agricolas summo in discrimine versatos esse. Itaque per minimum centum annos viris doctis fundi agricolarum Atticorum, qui agros suos aut sponte aut cogente necessitate relinquebant, creditores crudeles effugiebant, cum liberis et uxoribus venibant, paucorum possessionibus additi esse existimandi sunt. Quorum divitum creditorum sine dubio plurimi possidendi cupiditate allecti sunt, ut debitores quam primum fundis oppigneratis privarent.

Ne agricolas quidem ipsos credibile est tantis in malis tantoque in periculo diutius voluisse versari. Accedit quod jure Graeco, ut Dittenberger (Syll. inscr. Gr. 344 not. I) monet, ‚hypotheca, si debitor solvendo non erat, utique tota ad creditorem perveniebat, etiamsi multo majoris pretii erat quam summa pecuniae debita' (cf. Hermanni libr. qui inscr. ‚Lehrbuch der griech. Rechtsaltertuemer' ed III qu. cur. Thalheim p. 90). Quibus omnibus de causis, si ponis agros venire et creditoribus ab agricolis concedi vetitum non fuisse, maximas pro terrae Atticae exiguitate fuisse ante Solonis tempus nonnullorum agrorum possessiones pro certo habendum tibi est.

Sed si haec ita erant, quid lex illa Solonis sibi voluit? Ut statueret legislator certum quendam agrorum numerum, quem egredi quemquam nollet. At nonnulli jam hunc modum maxime excessisse Busoltio aliisque viris doctis putandi sunt. Quibus quae supra statutum modum possidebant Solon aut concessit aut dempsit. Ut concesserit: At ita minime id effecisset, quod voluit teste Aristotele, τῆς οὐσίας ὁμαλότητα. Immo in omne tempus civium paucioribus maximum dedisset atque servavisset privilegium. Ut dempserit? Sed de agrorum possessionibus nihil ab eo mutatum esse et Plutarchus et Aristoteles et ipse Solon testantur. Plutarchus (vit. Sol. c. XV) amicos Solonis narrat magnum lucrum eo fecisse, quod aere alieno contracto agros coemissent, cum et aes alienum omne deletum iri et agros legislatorem in singulos cives non descripturum esse scirent (ὅτι γῆν οὐ μέλλει κινεῖν), sequente capite

haec legimus: γῆς ἀναδασμὸν οὐκ ἐποίησε. Aristoteles ejusdem de amicis Solonis narratiunculae auctor idem ponit. Qui quamvis dubitet rectene ea ferantur, tamen in ipsa re nihil, quod incredibile sit, invenit. Cui fabellae ipsi quidem nihil momenti tribuendum est.[10]) Sed quod ex ea Aristotelem et Plutarchum in Solonis carminibus de agris publicatis distributisque nihil legisse elucet, tali ratione legislatorem abstinuisse jure colligitur. Ipsi Solonem in eos, qui ei inimici facti erant, quod nimia immoderataque

[10]) Alcibiadis aequales hoc ementitos esse, ut de ejus fama detraherent, de Wilam. (Ar. u. Ath. I p. 62 sqq.) docuit. Hi sane, qui fuisset rerum privatarum ante Solonis tempus status, scire non poterant ac, si potuissent, ut criminantes ne voluissent quidem talis rei rationem habere. Aristoteles autem (Rpbl. c. VI, 2) non quid factum sit, sed quid nonnulli de Solone ejusque amicis enarraverint memoriae prodit. Hunc quoque atthidographos secutum multarum rerum ad antiquiorem civitatis statum pertinentium ignarum fuisse de Wilam. (I p. 279) monet. Nullius igitur momenti est, quod illi Alcibiadis aequales, quorum mendacia philosophus refert, putavisse videntur ante Solonem agros venire licitum fuisse. Praeterea non satis certum id est, quod de Wilam. (II p. 62) contendit: ‚*Was er* (sc. Solon) *dem Volke brachte, entschied sich schon am Tage seines Amtsantrittes. Er hatte als Archon die Proklamation zu erlassen, dass er Jedermann in seinem Besitze schuetzen und erhalten wolle. Statt dessen erklaerte er alle bestehenden Hypothekenschulden fuer hinfaellig und die Verpfaendung eines athenischen Leibes ueberhaupt fuer ungesetzlich*‘ et qu. sequ. Singula, quae mutari voluit, Solonem jam in ineundo magistratu enuntiasse verisimile mihi non videtur. Potuit sane primo die, quo magistratum inchoavit, summatim non omnia se archonte immutata integraque fore edicere, singula autem in futurum tempus differre. Aristoteles Rpbl. c. 10 haec dicit: ἐν μὲν οὖν τοῖς νόμοις ταῦτα δοκεῖ θεῖναι δημοτικά, πρὸ δὲ τῆς νομοθεσίας ποιήσα[ς τὴν τῶν] χ[ρ]εῶ]ν ἀπο] κοπὴν καὶ μετὰ ταῦτα τήν τε τῶν μέτρων καὶ σταθμῶν καὶ τοῦ νομίσματος ἐπαύξησιν. Cum hoc loco si confers alterum (c. 6): κύριος δὲ γενόμενος τῶν πραγμά[τω]ν <ὁ> Σόλων τόν τε δῆμον ἠλευθέρωσε καὶ ἐν τῷ παρόντι καὶ εἰς τὸ μέλλον, κωλύσας δ[αν]είζειν ἐπὶ τοῖς σώμασιν,

eorum spes ad irritum ceciderat, haec scripsisse legimus (Arist. Rpbl. c. 12):

οὐ χρεών· ἃ μὲν γὰρ εἶπα σὺν θεοῖσιν ἤνυσα,
[ἄλλα δ'οὐ μά]την ἔερδον, οὐδέ μοι τυραννίδος
ἀνδάνει βίᾳ τι [ῥέζ]ειν, οὐδὲ πιεί[ρ]ας χθονὸς
πατρίδος κακοῖσιν ἐσθλοὺς ἰσομοιρίαν ἔχειν.

Haec quidem in eos dicta sunt, qui eo usque cupiditatis procederent, ut omnium agros legislatorem aequaturum esse exspectarent. [11]) Tamen non potuit Solon hos versus componere, si agris, qui legitime

καὶ νόμους ἔθηκε, καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς ἐποίησε καὶ τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων κ. τ. λ., postremam legislatoris rationem ad res privatas spectantem eam fuisse, quam τὴν τῶν μέτρων καὶ σταθμῶν καὶ τὴν τοῦ νομίσματος ἐπαύξησιν Aristot. nominat, hanc autem τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπήν proxime antecessisse jure colliges. Quam ob rem agros vendere, antequam obaeratorum debita deleret, Solon civibus concessisse mihi videtur, praesertim cum uno eodemque tempore et homines et agros liberos factos esse suspicer. Probari quidem hoc non posse facile concedo. Aristotelem autem σεισάχθειαν primo magistratus diei non tribuisse et loci modo allati et ipsa de amicis Solonis narratio docere mihi videntur (cf. Rpbl. c. 6 haec verba: συνέβη γὰρ τῷ Σόλωνι μέλλοντι ποιεῖν τὴν σεισάχθειαν προειπεῖν τισι τῶν [γνω]ρίμων). Nam antequam Solon archon factus esset ejus amicos illud ausos esse ne ementiri quidem poterant Alcibiadis aequales.

[11]) Hic quoque videre licet verum id esse, quod supra (p. 29) dixi, obaeratos miserosque magna ex parte aut agrorum cultores aut agris suis privatos fuisse. Nam nisi agri patrimoniorum quasi fundamentum et gravissima pars fuissent, quae hodie sorte sua non contenti appetunt, ea illius quoque temporis homines novis rebus studentes postulavissent, omnium bonorum, non agrorum tantum largitionem. Eodem spectant, ut taceam de ἑκτημόροις, et quod Terram ὅροις liberatam Solon eorum, quae effecerit, testem esse vult (cf ann. 1 et p. 18) et Plutarchi verbis: ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων respondentia Aristotelis verba: ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν. Haec, quae proxime attuli, aperte videntur demonstrare maxime jam paucorum agros minoribus agricolarum fundis accumulatos fuisse. Sed infra (p. 57) videas quid mea sententia haec verba valeant.

ad divites creditores redierant, publicandis majorem agricolarum numerum restituisset. Nam hoc quoque βίᾳ τι ῥέζειν fuisset.

Iterum igitur quaero quid lex illa Solonis sibi voluerit. Recte si reputaverimus quantum nonnullorum divitum agrorum possessiones accrevisse e sententia virorum doctorum ponendum sit, tantum abest, ut talis lex τὴν τῆς οὐσίας ὁμαλότητα efficere potuisset, ut maxima quae esset fundorum inaequalitas ne paulatim minueretur hac lege impeditum esset. Nam cum Solon, quippe qui agros divitum non tangeret, quin paucis maximos fundos possidendi quasi privilegium daret facere non potuisset, quam maxime profecto hi studuissent, ut hoc privilegium sibi liberisque suis servarent. Apparet igitur hanc legem non latam esse, ut, quae jam orta essent, mala sanarentur, sed ne haec mala nascerentur. Aliis quoque in rebus videmus Solonem summa cum sapientia ac diligentia id egisse, ut, quae mutari vellet, ne in contrarium malum inciderent impediret. Populum omnem rei publicae participem fecit: At ne eadem inferioribus quae nobilibus jura essent prohibuit, cum quartae classis cives magistratibus plane secluderet neque omnibus, qui priorum trium classium erant, omnium magistratuum administrandorum potestatem tribueret, praeterea cum Areopago novam auctoritatem adderet. Item in rebus privatis collocandis egisse videtur. Omnibus quidem jus emendi vendendique agros dedit, sed ne singuli nimias agrorum possessiones nanciscerentur lege illa praecavit.

Quae modo exposita si minus manifesta tibi videntur, tamen communem virorum doctorum sententiam secutus hoc mihi dabis, maximorum fundorum possessores postea quoque inveniri exspectandum esse. Lex Solonis ne quis supra statutum modum agros sibi compararet cavens mox sublata esse videtur. Pisistrati tempore Callias, cujus avunculus Hipponicus inter falsos Solonis amicos fuisse ferebatur, cum tyrannus Athenis pulsus esset, ejus bona coemebat. (Herod. VI, 121). Simili modo alios quoque, quorum jam patres agris divitissimos fuisse viris doctis sumendum est, possessiones suas auxisse verisimile est. Jure igitur colliges posterioribus quoque temporibus nonnullos maximos fundos possedisse. Plane autem contraria ea sunt, quae hac de re traduntur. Alcibiades e gente nobilissima et divitissima erat, ipse in divitissimis Atheniensibus numerabatur. Proavus ejus Clinias in eis Solonis amicis, qui aere alieno contracto magnam agrorum copiam sibi coëmissent, fuisse ferebatur. Alcibiades igitur agris quoque dives ab aequalibus (cf. not. 10) habebatur. Cujus patrimonium trecentorum plethrorum magnitudine erat (Plat. Alcib. I p. 123 C.)! Hic fundus, cum unum plethron quinquaginta fere drachmis aestimandum sit, duobus talentis et dimidio constabat, cum tota Alcibiadis res familiaris plus centum talentis putaretur (Boeckh, Staatsh. d. Ath. p. 633). Sed aliis quoque testimoniis patrimonia trecentorum plethrorum in maximis numerata esse docemur. Multo quidem majores praediis in campis planis sitis ei fundi erant, quos Graeci ἐσχατιάς

nominabant (Herod. VI, 127; Harpocr. s. v.), sub radicibus montium et in litore maris siti. A quibus cum discesseris, Alcibiadis patrimonium in maximis habendum fuisse ea docent, quae Boeckh (Staatsh. d. Ath. p. 90 sq.) de singulorum fundorum pretiis nota in unum locum congessit. Fundi enim plus duobus talentis et dimidio stantes non reperiuntur. [12]) Quin etiam fundi, qui uno talento erant, magni habebantur (Is. VIII § 35: Κίρων γὰρ ἐκέκτητο οὐσίαν, ὦ ἄνδρες, ἀγρὸν μὲν Φλυῆσι, καὶ ταλάντου ῥαδίως ἄξιον, κ. τ. λ. cf. Boeckh. l. c. p. 91: *,Ein Grundstueck des Kiron war nach Isaeos' Ausdruck leicht sogar ein Talent wert: woraus zu schliessen, dass dieses schon fuer ein bedeutendes Stueck galt'*). Itaque ducentorum jam plethrorum patrimonia in majoribus erant. Tota in Attica cum plus deciens centenorum milium plethrorum agros frumentarios fuisse Boeckh collegerit, tantorum fundorum quinque milia in Attica esse potuisse vides. Majorem fundorum partem cum plus dimidio minores fuisse pro certo habendum sit,

---

[12]) Aristophanes quidem, vir divitissimus, fundum trecentorum plethrorum aliquanto pluris emit (Lys. pro Aristoph. re familiari p. 633 et 642). Itaque si plethri pretium quinquaginta drachmis fortasse paulo majus fuit, etiam magis singulorum fundorum pretiis a Boeckhio allatis id probatur, quod doctissimus hic vir l. a. p. 89 dicit: *,Uebrigens scheinen die Laendereien in Attika in ziemlich kleine Stuecke zerteilt gewesen zu sein.'* Idem monet (p. 635) Demosthenis aetate, quod quin Dracontis tempori tribuant viri docti facere non possunt, factum esse, ut singuli nimias agrorum possessiones sibi coëmerent: *,Auch das Grundeigentum war ziemlich verteilt: selbst Reiche, ein Alkibiades, ein Aristophanes, besassen nur 300 Plethren oder etwas mehr; erst in Demosthenes' Zeiten finden wir Klage darueber, dass Einzelne zu viele oder sehr grosse Grundstuecke an sich brachten,'* et qu. sequ.

si posueris viginti fere milia civium in Attica fuisse (cf. Fraenkel, die att. Geschworenengerichte p. 3 sqq.) atque reputaveris multos omni tempore fuisse horum in numero majores duodeviginti annis natos, quorum patres adhuc in vivis erant, non paucos divitesque, sed majorem civium partem in Attica agrorum possessores fuisse mihi dabis. Hoc eo comprobatur atque confirmatur, quod Phormisii tempore tringinta tyrannis pulsis, quamquam post bella Persica commercium maxime augeri artesque florere Athenis coeperant, tamen quinque tantum milia Atheniensium agros non possidebant (Dionys. Hal. de Lys. c. 32): Φορμίσιός τις τῶν συγκατελθόντων μετὰ τοῦ δήμου, γνώμην εἰςηγήσατο, τοὺς μὲν φεύγοντας κατιέναι, τὴν δὲ πολιτείαν μὴ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς τὴν γῆν ἔχουσι παραδοῦναι, βουλομένων ταῦτα γενέσθαι καὶ Λακεδαιμονίων. ἔμελλον δὲ, τοῦ ψηφίσματος τούτου κυρωθέντος, πεντακισχίλιοι σχεδὸν Ἀθηναίων ἀπελαθήσεσθαι τῶν κοινῶν.[13]) Quinto a. Ch. n. saeculo parvorum mediocriumque fundorum possessorum numerus certe non

[13]) De Wilam. (Ar. u. Ath. II p. 227) de hoc loco haec dicit: *‚Durch die Beschraenkung auf die Grundbesitzer sollen 5000 ausgeschlossen werden; durch die Beschraenkung auf die* ὅπλα παρεχόμενοι *sollten 411 nur 5000 Berechtigte bleiben. Das fuehrt zu dem ueberraschenden Schlusse, dass eine grosse Anzahl von Grundbesitzern sich nicht equipieren konnten, also Theten waren.‘* Quam ob rem pro γῆν κεκτημένοι (cf. Dion. Hal. l. a. c. 33 ipsam Lysiae orationem) intelligendum esse γῆν ἢ οἰκίαν κεκτημένοι. Concedit quidem vir doctissimus apud omnes Graecos interesse inter γῆν κεκτῆσθαι et γῆν ἢ οἰκίαν κεκτῆσθαι, Lysiae autem ut rhetori, quod hoc illo confuderit, veniam esse dandam. Sed anno 411 quinque tantum milia Atheniensium p o t u i s s e ὅπλα παρέχεσθαι de Wilam. non recte contendit. Qua de re Aristot. (Rpbl. c. 29) haec tradit: τὴν δ' ἄλλην πολιτείαν ἐπιτρέψαι πᾶσιν Ἀθηναίων τ ο ῖ ς δ υ ν α τ ω τ ά τ ο ι ς καὶ τοῖς σώμασιν καὶ τοῖς χρήμασιν λῃτουργεῖν μὴ ἔλαττον ἢ πεντακισχιλίοις ἕως ἂν ὁ πόλεμος ᾖ......

auctus est. Respiciendum praetera Clisthenem multos ξένους καὶ δούλους μετοίκους civitate donavisse (Arist. Politic. 1275 b.). Quam ob rem eorum, qui cives erant, etiam majorem partem ante Clisthenem et post Solonem quam posterioribus temporibus agros possedisse jure suspicabimur. Accedit quod Themistocles (Diodor. XI, 43) et Pericles (Plut. vit. Pericl. 12) studebant, ut artibus augendis majorem pauperiorum civium numerum in urbem congererent. Solon quoque opificibus favisse dicitur, ut omnes haberent, unde victum sumerent mercatoresque, ut Athenas peterent, allicerentur. Sed hujus tempore artes jam floruisse Athenis ne opinemur eo prohibemur, quod vasa fictilia, ad quae fabricanda terra Attica optimam praebebat materiam quaeque antiquissimis temporibus ibidem facta esse scimus, non ante Pisistrati tempus ex Attica exportabantur (de Wilam. Phil. Unters. I p. 203 sq.). Themistoclis autem Periclisque aetate

---

ἑλέσθαι δὲ καὶ τῆς φυλῆς ἑκάστης δέκα ἄνδρας ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη γεγονότας, οἵτινες καταλέξουσι τοὺς πεντακισχιλίους. Cap. 31 haec legimus: τῶν δὲ στρατηγῶν τὸ νῦν εἶναι τὴν αἵρεσιν ἐξ ἁπάντων ποιεῖσθαι τῶν πεντακισχιλίων, τὴν δὲ βουλὴν ἐπειδὰν καταστήσῃ ποιήσασαν ἐξέτασιν ὅπλοις ἑλέσθαι δέκα ἄνδρας καὶ γραμματέα τούτοις. Equidem ex hoc, quem proximum attuli, loco nihil aliud colligere possum, quam cives armatos cum cura inspectos esse, ut dignissimi, qui duces fierent, ex eis eligerentur. Sed ut verum id sit, quod de Wilam. (l. a. p. 115) contendit: *‚Das ist eine Controlle, dass alle Buerger wirklich* ὅπλα παρεχόμενοι *sind‘*, tamen reliquorum Atheniensium in numero non fuisse, qui armis se instruere potuissent, si quinque milium in numerum recepti essent, consequens non est. Praeterea ipse de Wilam. (II, 227): *‚Ein Haus ist in Athen ein sehr wenig wertvoller Besitz, darum haben es so gut wie alle Buerger, wenn sie nicht wirklich Proletarier sind und als solche leben.‘* Hanc ipsam ob rem Spartani agrorum tantum, non domorum quoque possessores cives esse maluisse mihi videntur.

haud pauci sane parvorum fundorum domini agros suos vendebant, ut in urbe artibus studerent, nobilioribus autem majorumque praediorum possessoribus occasio sic dabatur agrorum suorum augendorum. Fortasse hos quoque saepius agrorum suorum partes vendidisse, ut pecunia ea re parta majorem in urbe quaestum sibi peterent, suspiceris, neque ego nonnumquam hoc factum esse nego. Aliis autem sic etiam melior praebebatur occasio, ut agros suos accumularent. Nostris temporibus Britanniae exemplum optime docet, florentibus artibus atque crescente mercatorum commercio fieri solere, ut mediocris fortunae agricolae e fundis a potentibus divitibusque dejiciantur. Praeterea in Attica eos, quibus satis magna fortuna erat, e qua victum sumerent, ante Periclis tempus ad artes non descendisse, ne βάναυσοι fierent (cf. Plat. Pol. IX, 13; Arist. Politic. 1278 a), pro certo habendum est. Itaque locupletiores agris relictis lucrum facere non poterant nisi aut ipsi commerciantes aut pecuniam mercatoribus naviumque dominis fenori dantes. Talis quaestus cum parum certus esset (cf. Boeckh, Staatsh. d. Ath. p. 186), divitibus solis eum petendi facultas erat. Quorum divitum fortunae, quantum nos scimus, minima fere pars fundis consistebat (cf. Boeckh, Staatsh. d. Ath. p. 625 sqq.). Hanc rei familiaris firmissimam constantissimamque partem a multis eorum venditam esse verisimile non est, cum agrorum possessionem Atheniensibus aliis rebus potiorem fuisse, quod metoecos agros sibi comparare vetitum erat, non minus testimonio sit quam narratiuncula illa ab

inimicis Alcibiadis de Solonis amicis ficta. Quae omnes causae, quas quin facile quis augere possit non dubito, suadent, ut sexto a. Chr. n. saeculo etiam majorem civium partem quam quinto agros possedisse, divitum autem fundos etiam minores fuisse suspicemur. Praefracte igitur jam nego sexto saeculo multorum pauperum agricolarum fundis paucorum divitum possessiones ita accumulatas fuisse, ut sumendum nobis esset, si per longum tempus ante Solonis legislationem creditoribus patrimoniis debitorum summo in discrimine versantium licuisset potiri.

Quam in rem Solonis et, si Aristotelis Rpbl. capiti quarto fides habenda est, Dracontis jam instituta ad rem publicam spectantia optime conveniunt. Quid si parvorum patrimoniorum domini non multi extabant, si agris omnium eorum, quos Solon aut in patriam reduxit aut domi e servis liberos reddidit (quibus e sententia virorum doctorum permulti alii addendi sunt, quos aut legislator reducere non poterat aut sponte agris suis cessisse ponendum videtur) paucorum possessiones auctae erant, de tota illa distributione civium in classes e censu descriptas censeamus? Dracon quoque cum tertiae classi eos cives, qui ὅπλα παρεχόμενοι essent, tribueret, non quidem certum redituum modum ab eis postulavit, sed satis magnum fore speravit numerum mediocris fortunae civium, e quibus delectus haberi posset. [14]) Jure igitur quaerimus, qui potuerit

[14]) Ipsorum civium arbitrio fungerentur, ut vellent, aut non fungerentur hoplitarum munera permissum fuisse, ut de Wilam. (v. supra p. 22) ponere videtur, persuaderi mihi non potest.

fieri, ut satis amplus hic numerus esset tertiam classem explentium.

Quatuor classes quo tempore institutae sint, ne longus sim, quaerere omitto. Mihi quidem id, quod de Wilam. (l. c. I p. 81 sqq.) hac de re acutissime exposuit, verisimillimum videtur, non solum Solone, sed etiam Draconte veteriores eas habendas esse. Erat igitur tempus, quo primae classi ei attributi erant, qui quingentorum medimnorum messem faciebant. Idem Solonis axonibus praescriptum erat. Persuadere igitur mihi non possum archontes et aerarii custodes Dracontis tempore ex iis creatos esse, qui, ut de Wilamowitz, Kaibel aliique viri docti volunt, ducentarum minarum rem familiarem haberent. Tradita apud Aristotelem (Rpbl. c. IV) haec sunt: ᾑροῦντο δὲ τοὺς μὲν ἐννέα ἄρχοντας καὶ τοὺς ταμίας οὐσίαν κεκτημένους οὐκ ἐλάττω δέκα μνῶν ἐλευθέραν, ... στρατηγοὺς δὲ καὶ ἱππάρχους οὐσίαν ἀποφαίνοντας οὐκ ἔλαττον ἢ ἑκατὸν μνῶν ἐλευθέραν κ. τ. λ. Quo loco cum aliis viris doctis de Wilam. (l. c. I p. 80 sqq.) δέκα delendum esse censet. Ex summa enim pecuniae decem minarum non plus ducentarum drachmarum usuras percipi potuisse. Hoc parum eis fuisse, qui primi ordinis essent, eo comprobari, quod Dracon multam trium drachmarum eis proposuisset pentacosiomedimnis, qui βουλευταί facti consiliis contionibusque non interessent. Sed hoc argumentum parum potens est. Potuit sane Dracon magna poena eos afficere, qui tardiores essent in negotiis gerendis, cum et raro fortasse βουλευταί illi convocarentur et omni modo legislator impedire vellet, ne quis eorum

sine gravi causa rei publicae se subtraheret. Praeterea, si de Wilamowitzii sententiam sequimur, mirum est, quantum non solum Dracon a jure tradito, sed etiam Solon a Dracontis institutionibus discessisse putandi sint, cum tamen ne uno quidem verbo Dracontis legibus populi jura deminuta esse Aristoteles dicat. Itaque quantam fere rem familiarem e sententia de Wilamowitzii Dracon archontes habere debere constituerit, paulo accuratius inquiramus.

Solonis aetate uni drachmae eadem potestas videtur fuisse quae Demosthenis tempore quinque drachmis (Boeckh, Staatsh. d. Ath. p. 6). Quin etiam ovem Solonem una drachma aestimavisse Plutarchus (vit. Sol. c. 23) refert, cum posterioribus temporibus singulae oves decem et viginti drachmis venirent (Boeckh l. a. p. 105 et 107). Adde quod et quinquaginta fere annis antequam Solon archon esset singulorum nummorum etiam majorem fuisse potestatem elucet et Solon nummos eis quibus antea Athenienses utebantur nummis aliquanto minores vilioresque fecit. Praeterea non solum nummi cum nummis conferendi sunt, sed reputandum agros crescente hominum multitudine cariores fieri solere. Quare non ita valde a vero aberrabis, si eis potissimum nisus, quae de pecudum pretio constant, Dracontis aetate uni drachmae pro agrorum pretio eandem fere potestatem fuisse suspicaris quam Demosthenis tempore decem drachmis. Sed mittamus omnia illa et hoc solum respiciamus, Solonis drachmam ea, qua antea Athenienses utebantur, aliquanto minorem fuisse. Fuerit igitur uni Dracontis drachmae

eadem potestas quae septem drachmis Demosthenis aetate. Sequitur ut illius tempore, cum posterioribus temporibus ducentis minis quadringenta fere plethra emerentur, tanta pecuniae summa, quam archontes et custodes aerarii e sententia virorum doctorum possidere debebant, fundo duorum milium et ducentorum plethrorum par fuerit. [15]) Tanto e fundo circiter quinque milia medimnorum Phidoneorum (ut Aristotelis significatione utar, cf. de his modis Busolt. ed. II tom. I pag. 620 sqq.), si messis nec opima nec ingrata erat, quotannis redibant, cum antea reditus quingentorum medimnorum satis haberetur primi ordinis civibus.

Hoc ut credam adeoque populi jura a Draconte deminuta esse ponam persuaderi mihi non potest. Virum quendam cogitemus, qui id temporis nonaginta minarum rem familiarem haberet. Hic vir certe non minus locuples erat quam is, qui posterioribus temporibus decem talenta possidebat et in divitibus numerabatur (cf. Boeckh l. a. p. 625 de re familiari Critolai, qui octo talenta et viginti minas habebat divesque nominabatur: Xenoph. Oecon. 2). Plurimos sane equos alere is poterat, qui tanta bona habebat, tamen ἵππαρχος e sententia virorum doctorum fieri

---

[15]) De Wilam. quoque non negat eos, qui Dracontis tempore ducentas minas possidebant, divitissimos fuisse. Arist. igitur in Rpbl., cum Solonem, qui Dracontis legibus etiam valentibus archon factus erat, τῇ οὐσίᾳ καὶ τοῖς πράγμασι τῶν μέσων fuisse cap. V dicat, si cap. IV loco all. διακοσίων scripsisset, leviter rem tractavisse putandus esset. Certe Arist., cum ipso illo cap. V narret Solonem archontem creatum esse, μέσους quoque archontes fieri potuisse ponit.

non poterat. Sed illud quoque, δέκα loco Aristotelis allato servandum esse verisimile non videtur. Credibile enim non est decem minis quemquam tantum fundum emere potuisse, ex quo quingenti medimni Phidonei redirent. Sed quod agri emi omnino non poterant, hoc optimam effugiendi difficultatem illam praebere mihi videtur rationem. Dracon ut e magnitudine rei familiaris honores et magistratus civibus distribueret haud dubie eo commotus est, quod censu ex agrorum reditibus habito fieri non potuit quin pro fertilitate annorum aut plures aut minores et fortasse aut hi aut illi prioribus ordinibus tribuerentur. Sed bona magna ex parte agris consistebant. Agrorum autem pretia si emendo vendendoque, sive quod fundi urbi propiores sive quod melius irrigati erant sive aliis permultis de causis diversissima jam facta fuissent, tam difficile sane fuisset eorum fundorum, qui numquam venierant, pretium certum constituere, ut hoc illius jam aetatis fuisse vix credi possit. Hac quoque re adducimur, ut agros emi et venire id aetatis vetitum fuisse ponamus. Potuit igitur Dracon ea spectans, quae agri ferre solebant, nummis certam quandam agri fructuarii partem in aequo ponere. Non quidem me fallit, quam incerta haec omnia sint. Sed hanc ipsam ob rem, ut ego contendere non audeo Draconem eam, quam suspicatus sum, adhibuisse rationem, ita e contrario negari nequit fieri potuisse, ut legislator pecuniae summam decem minarum eodem numero haberet quo fundum quingentorum medimnorum fructum praebentem. Verisimilius igitur mihi est

loco Aristotelis allato secundum quam primum numerum corruptum esse atque pro ἑκατόν Solonis institutis collatis ἕξ scribendum esse. Cui rationi ipse Aristotes tacendo assentitur. Qui si l. a. διακοσίων et ἑκατόν scripsisset, Dracontis legibus paucis atque divitibus rem publicam etiam magis commissam esse quam antea praedicare certe non omisisset.

Jam ad certiora revertamur et Solonis adeamus instituta ad rem publicam spectantia. Solon ex agrorum reditibus cives in classes distribuit, ita tamen, ut simul fundorum pretii rationem haberet, quod Boekh (p. 653 sqq.) acutissime docuit. De Wilamowitz quidem quatuor classes non magni jam momenti Solonis tempore fuisse putat. Sed ipse hoc concedit (I, 83): ‚*Immerhin muss ja wohl irgendwann einmal die feste Scala 500, 300, 200 Scheffel statt der aelteren einfachen, die die Woerter selbst bezeugen, beliebt sein.*‘ Multis locis de Wilam. Dracontis leges usque ad Solonis tempus valuisse ponit. Dracon autem cum tertiae classi τοὺς ὅπλα παρεχομένους tribueret, id de Wilamowitzii judicio servavit, quod primae classium institutioni dandum est. Itaque ante Solonis tempus zeugitarum reditibus certus modus impositus non est et ipse de Wilam. quin concedat facere non potest Soloni hanc institutionem tribuendam esse. Hoc et optime traditum est et rebus ipsis postulabatur. Solon enim cum primus thetibus jura publica concederet, certiorem in modum quam antea opus fuerat thetas a zeugitis secernere debuit. Recte quidem de Wilam. dicit mirum esse, quod ex agrorum nimis

varii pretii fructus ferentium reditibus Solon civibus jura distribuerit. At cum vir tanti acuminis quin traditis rejectis sibi ipsi obloquatur facere non potuerit, eam sequamur oportet rationem, ut non repudiemus, sed explicare conemur, quae optime tradita sunt. Sane si ante Solonem agros emendo vendendoque sua jam nactos esse pretia et Dracontem potuisse jam civium rem familiarem taxare posuerimus, vix credemus Solonem ad antiquiorem rationem revertisse. Itaque hac quoque in quaestione difficultates, quae nobis obstant, optime tolluntur, si Solonem primum, ut quisque fundo suo ad arbitrium uteretur, constituisse colligimus, quo factum sit, ut agri, cum Solon leges suas ferret, non quidem certum pretium haberent, sed suum pretium nancisci jam inciperent. Sic enim explicationem habet, quod legislator nec Dracontis ratione ad arbitrium agrorum fructus praebentium pretium pro magnitudine constituere nec quanti cuiusque fundus aestimandus sit taxare potuit, sed agrorum fetus ratione habita cives pro rebus familiaribus in classes distribuere studuit.

Liceat mihi paucis colligere, quae modo exposita sunt. Viri docti, cum pro tradito habeant agros venire ante Solonis tempus licitum fuisse, facere non possunt quin aut eis nisi, quae de Dracontis rationibus memoriae Aristoteles prodidit, Solonem ex agrorum reditibus cives in classes distribuere potuisse, aut hoc de Solone accipientes Dracontem jam e censu atque pro rei familiaris pretio classes descripsisse negent. Contra et hoc et illud explicationem habet,

si agros mutuo singulorum usui ante Solonem nondum concessos fuisse ponimus. Omnium certissimum autem mihi videtur Solonem accuratius constituisse quantum fructuum zeugitae percipere deberent. Nam hoc non solum optime traditum est, sed comprobatur, quin etiam postulatur eo, quod Solon primus quarto ordini jura publica tribuit. Hac autem ex re, imprimis quod de zeugitis plane nova constituit, quae simul docent thetas quoque ex parte agrorum possessores fuisse, et jure colligitur multorum parvae mediocrisque fortunae agricolarum rationem habuisse legislatorem,[16]) et idem facile evincitur, quod quinti a Chr. n saeculi exemplo supra probatum est, omnes fere cives sexto saeculo agros possedisse. Contra si ponis ante Solonis aetatem agros venire et hypothecae nomine obligari licuisse, colligendum tibi est non multos restitisse minorum fundorum dominos, nonnullorum autem divitum agros maxime accumulatos fuisse. Nam rerum status, quem et Plutarchus et Aristoteles et ipse Solon ante oculos nostros exponunt, haud dubie is erat, ut fieri non posset quin divitum agri

---

[16]) Idem censet Martin, les cavaliers Ath. p. 45: Si Solon n'a pas fait de nouveaux propriétaires, c'est que déjà alors la propriété était suffisamment divisée, c'est qu'elle pouvait fournir une bourgeoisie assez nombreuse pour constituer la cité, et qu. sequ. Quaestio a nonnullis proposita, divites mercatores quibus classibus tributi fuisse existimandi sint, nihil ad rem nostram attinet. Rectissime enim de Wilam. (II, 58) hoc monet: *‚Der Handel erforderte infolge des Risikos damals noch mehr als heute ein starkes Anlagekapital. Ihn trieben die besitzenden Herren selbst.‘* Itaque inferiores classes mercatoribus compleri certe non poterant.

pauperum fundis vel maxime augerentur, agricolae modice locupletes pauci relinquerentur, nisi aut legibus aut moribus Atheniensium ne id fieret cautum erat. Quam ob rem hoc solum in solvenda ea, quam deteximus, difficultate quasi refugium nobis relinqui contendo, ut concludamus usque ad Solonis tempus legibus moribusve Atheniensium vetitum fuisse creditoribus debitorum, qui solvendo non essent, agros concedi. Restat ut videamus, quam non sit repugnans huic argumentationis meae fini, quod ὅρους illos in agris obaeratorum ponere mos erat. Quod ut cognoscatur paulo longius abeundum mihi est. Quaerendum enim, cum nec creditores agris debitorum potiri nec hi eos servare possent, ad quemnam fundi dominis prioribus patrimonio eversis redierint.

Solon leges ne agri venirent et creditorum fierent, ut probavisse mihi videor, lege sustulit agros dominorum arbitrio permittente. Lex hujus simillima ea est, qua omnibus facultatem testamenti faciendi concessit. Nam quod altera lex viventi, id altera morituro concedit possessiones possessoribus in usum tradens. Optime igitur accidit, quod Plutarchus non solum servavit legem Solonis testamenta fieri permittentem, sed etiam addidit, qua de causa id antea vetitum fuerit. Audiamus ipsa ejus verba (vit Sol. c. 21): Εὐδοκίμησε δὲ κἀν τῷ περὶ διαθηκῶν νόμῳ. πρότερον γὰρ οὐκ ἐξῆν, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος ἔδει τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον καταμένειν, ὁ δ' ᾧ βούλεταί τις ἐπιτρέψας, εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ, δοῦναι τὰ αὑτοῦ κ. τ. λ. Verbo γένους hoc loco Plutarchum ea spectare genera, quorum gentiles non cognatione, sed cultu legibusque con-

juncti erant (v. Poll. VIII, 111; Moer. Att. p. 108: Harpocr. s. v. Plat. Phileb. explic. p. 30 D.) communesque quidem generis auctores, sed qui personae fabulares erant, adorabant, rectissime viri docti posuerunt neque quisquam, ni fallor, negavit. Ante Solonem quomodo res se habuerit ex eis cognoscitur, quae Athenis juris erant, si quis intestato decesserat. Tum enim agnati, imprimis filii filiorumque filii, ita heredes fiebant, ut nepotes filiabus mortui antecederent (v. Demosth. quae fertur in Makart. or. 51). Qua ex re jure colligemus ante Solonis tempus agnatos solos, quippe qui omnes ejusdem ac mortuus generis essent, heredes factos esse. Si agnati deerant, cognatos quoque affinesque, sed eos tantum, qui ejusdem generis essent, admissos esse verisimile est. Tales quoque si non reperiebantur, ad genus bona rediisse certum. [17])

---

[17]) Romae duodecim tabularum lege idem praescriptum erat: si agnatus nec escit gentilis familiam habento, Cic. de inv. II, 50; ad Her. I. 13; Gai. III, 17. Hac quoque in urbe debitores, si solvendo non erant, veniisse constat. Fuerunt viri docti haud pauci (v. Rein, Privatrecht und Civilprocess der Roemer p. 937 not. 2), qui contenderent manus debitoribus in officio claudicantibus injici eo tempore, quo duodecim tabularum leges ferebantur, solum usitatum fuisse Romanis, missionem in bona, quae dicitur, postea institutam esse. [Cf. Gai. IV, 35: appellatur Rutiliana (sc. actio), quia a praetore P. Rutilio (cos. a. 649 a. u. c.), qui et bonorum venditionem introduxisse dicitur, comparata est. — Duodecim tabularum lege constitutum erat, ut eis, qui creditoribus addicti essent, de suo vivere liceret (Gell. XX, 1)]. Alii autem viri docti, ut Reinius l. a., contra dixerunt. Cui ut assentandum sit, — meo enim judicio hac in quaestione uti non possum, — tamen dijudicari nequit, agrisne debitorum antiquissimis temporibus creditores Romani potiri potuerint necne. Etsi licuerit pignora capi, tamen agros id temporis pignori datos esse evincendum relinquitur.

Tenemus igitur causam, cur id temporis nec creditores agris debitorum potiri, nec hi fundos suos hypothecae nomine ea condicione, ut creditorum fierent, si, quae pacta essent, non solverentur, obligare potuerint. Fundorum usus quidem fructusque singulis gentilibus permissus erat, agris ipsis ad arbitrium uti non poterant. Solon primus cum et testamenta fieri, si quis sine filiis moriturus esset, et agros venire permitteret, patrimonia ipsa singulis civibus in usum tradidit (τὰ χρήματα κτήματα τῶν ἐχόντων ἐποίησεν Plut. vit. Sol. c. 21). Quae leges tam arte cohaerent, ut mirum esset, quod Solon testamenta admisit, si ante Solonem licuisset agros pignori dari. Manifestum enim est quam facile, qui propinquos heredes suos esse nollent, aliis, quibus vellent, nomine hypothecae de possessionibus impertire potuissent. Quod multo etiam facilius fieri potuisset, si bona cuilibet condonare omnibus liberum fuisset. Hoc non minus quam illud, quod quidem ad agros attinet, usque ad Solonis tempus vetitum fuisse contendo. Spartae quidem cum agros vendere turpe et indecorum, quin etiam legibus inconcessum (hoc enim Arist. Pol. p. 1270 a οὐ καλόν valet) haberetur, quin specie donandi et testamenta faciendi fundi pretio darentur cautum non fuisse videtur, nisi forte Plutarcho (vit. Agid. c. 5) credere mavis non Lycurgum, sed Epitadeum haec rhetra Lacedaemoniis permisisse. Athenis autem si talis via salutis patuisset, certe ei, qui aere alieno obruti erant neque, ut probavimus, patrimoniis abjectis ex aere alieno emergere poterant, specie donandi agros pecuniam sibi parare non

dubitavissent. Non minus sic obaeratorum omnium, id est omnium fere parvorum mediocriumque fundorum possessorum agri ad paucos creditores pervenissent. Omnia igitur, quae priore hujus commentationis parte exposita sunt, simul ostendunt agros condonari ante Solonis tempus vetitum fuisse.

Fundis suis ut genus quoddam ante Solonis tempus privaretur cum nullo modo fieri potuisse in aperto jam sit, accuratius pergamus inquirere, quam vere ager Atticus πρόσθεν δουλεύων a Solone nominatus sit. Non solum a singulis divitibus, sed etiam e deorum et phratriarum aliorumque collegiorum aerariis, quae a potentibus administrata sint, agricolis pecuniam fenori datam esse bene de Wilam. (II p. 58) suspicatus est. Quibus, si debitor solvendo non erat, agri non addicti sunt, sed horum usufructuario in servitutem abducto ad genera redierunt. Verisimile autem non est genera hos agros omni aere alieno vacuos recepisse. Quod si moris fuisset, et creditoribus ne agricolis vendendis sua ipsorum, ut ait Horatius, vineta caederent cavendum et periculum fuisset, ne debitores hac re feroces segniores fierent. Ponendum igitur legibus cautum fuisse, ne quid non modo deorum collegiorumque aeraria, sed ne singuli quidem divites creditores caperent detrimenti. Hanc ob rem, ut agri aere alieno conflato quam maxime solverentur, non agricolas solos, sed uxores etiam liberosque veniisse pro certo habeo. Tamen generum magistratus (ἄρχοντες et ταμίαι γενῶν in lapidibus inveniuntur, v. Ross, Demen Attikas p. 24; Toepffer, att. Geneal. p. 287 sq.) facere non poterant, quin aeris alieni eam

partem, quae restiterat, novis agrorum usuariis injungerent.[18]) Nam si quis cum liberis venierat, eidem certe in ejus locum succedebant, qui heredes facti essent, si sine liberis discessisset. Tales enim leges, qualibus ante Solonem Athenienses utebantur, eo consilio latas esse, ut patrimoniorum numerus servaretur, supra demonstratum est. Eadem igitur, quae de heredibus nota sunt, jure ponuntur de novis agrorum usuariis, qui fortasse nonnumquam vi cogebantur, ut agros vacuos colerent.

Etiam magis apparebit recte haec de novis agrorum usuariis suspicatum me esse, si Romanorum exemplo collato demonstrare conati erimus, quid de ὅροις illis statuendum sit. Apud Romanos antiquissimis temporibus creditores agris eorum, quos in officio cessantes trans Tiberim vendiderant, potiri potuerint necne suam poscit quaestionem. Magni autem momenti nobis ea fortasse sunt, quae de pignoribus quid Romae moris fuerit constant. Romae hypothecae, cum duodecim tabularum leges ferrentur, ignotae erant et ne pignora quidem antiquissimis temporibus dabantur, quae manente proprietate debitoris solam possessionem ad creditorem transferrent, sed res pignori data, donec debitor aes alienum solvisset, creditoris erat, ita tamen, ut creditores pollicerentur, se rem fiduciariam debitori,

[18]) Saepe autem aes alienum, quod minorum agrorum cultores contraxerant, pecunia agricolis cum uxore et liberis venditis parta aequatum et fortasse superatum esse inde colligendum est, quod posterioribus temporibus nonnullorum fundorum pretium ne unius quidem servi pretium aequabat (cf. Boeckh St. d. Ath. p. 90 sq. cum p. 95 sqq.).

cum ex aere alieno exiisset, reddituros esse (v. Rein, d. Privatrecht u. d. Civilprocess d. R. p. 245 sq., p. 348 sqq.). Agri igitur non hypothecae nomine obligabantur, sed ei, qui pecuniam fenori dabant, fundorum partes ita quasi emebant, ut non solum sponderent se rem mancipatam remancipaturos esse, sed etiam saepius agros mancipatos debitoribus locarent et precario concederent (cf. Momms. R. G. ed. II p. 142, p. 246; Rein. l. a.).

Hoc antiquioribus temporibus rebusque simplicioribus melius respondere[19]) quam illud, ut pignoris nec proprietatem nec possessionem creditores accipiant, sed fundi, domus aliaeque res hypothecae nomine obligentur, elucet. Athenis quoque ante Solonis tempus similia in usu fuisse videntur. Nam posterioribus temporibus saepissime agros aliaque bona pecuniae mutuae sumendae causa specie venisse et redemptos esse lapides docent (C. J. Att. II 1103 sqq.), in quibus hoc: ὅρος χωρίου καὶ οἰκίας πεπραμένων ἐπὶ λύσει Χαρίᾳ Φαληρεῖ vel ὅρος χωρίου πεπραμένου ἐπὶ λύσει θιασώταις Ἰσ[οδαίτου] δημότου et qu. sequ. aliaque simillima inscripta erant. (cf. Boeckh. St. d. Ath. p. 180.). De his titulis Boeckhius haec monet: ‚*Der Verkauf ist naemlich unter dem Vorbehalt der Wiedereinloesung gemacht als mancipatio sub fiducia, zur groesseren Sicherheit des auf das Grundstueck ausgeliehenen Geldes.*‘ Etiam usus fructusque partem bonorum specie venditorum debitores saepius recipiebant (Thalheim, Lehrb. d. gr. Rechtsaltert. ed. III p. 82 not. 2). Itaque quae-

[19]) cf. Thalheim l. c. p. 81: *Einer sehr alten Zeit war gewiss auch die kretische Sitte entsprungen, die dem Darleihen den Charakter eines Raubes aufpraegte.* Plut. qu. gr. 53 p. 303 b.

rentibus nobis, utrum illud, ut bona hypothecae nomine obligarentur, an hoc, ut agri aliaeque res specie venirent et redimerentur, antiquius habendum sit, dubium esse non potest rebus Romanis collatis, quin hoc, quod proximum dixi, prius in usu fuerit. Agros quidem ipsos cum nec emi nec venire ante Solonis tempus liceret ideoque, ut ait Aristoteles, οἱ δανεισμοὶ πᾶσιν ἐπὶ τοῖς σώμασιν essent, tamen agrorum fructuum partem pecunia mutua data creditores ita emisse videntur, ut partem fundi debentium occuparent et ὅροις terminarent. Verbum ὅρου enim principalem significationem ‚finis' et ‚termini' habet (cf. Dittenb. Syll. inscr. Gr. 303, 307), neque difficile est intellectu qui factum sit, ut ratione pignorum dandorum mutata simul et verbi ὅρου vis mutaretur vel augeretur. Itaque non singulos, sed multos ὅρους ante Solonis tempus in agris obaeratorum suspicor positos fuisse, qui fines significarent et terminarent fundi partis in usum creditoris colendae. Hoc eis firmatur, quae apud Pollucem leguntur (III, 85): ὅρους ἐφιστάναι χωρίῳ: λίθος δ' ἦν ἢ στήλη τις δηλοῦσα ὡς ἔστιν ὑπόχρεων τινι τὸ χωρίον. ἐπὶ δὲ τούτου ἐλέγετο ἐστίχθαι τὸ χωρίον, ὡς τὸ ἐνάντιον ἄστικτον (cf. Harpocr. s. v. ἄστικτον) et IX, 9: τὸ ὑπόχρεων χωρίον ὡρισμένον καὶ ἡ ἐνεστηκυῖα στήλη ὅρος. Verbum στίζειν cum idem valeat quod ‚punctis distinguere', non minus hoc quam nomen ὅρου testimonio est antiquioribus temporibus agros non hypothecae nomine obligatos fuisse, sed agrorum partes, quarum fructus creditores specie emerant, compluribus ὅροις terminatas et ab altera fundi parte aere alieno vacua distinctas esse. Eodem referendum

est, quod Solon apud Polluc. VII, 151 ἐπίμορτον γῆν eorum agricolarum, qui fructuum partem (μορτήν) sibi habebant ipsique ἐπίμορτοι (i. e. coloni partiarii, v. Hesych. s. v.) nominabantur, fundum appellat. Quae si recte exposita sunt, illud quoque verisimilius factum esse mihi dabis, partem fundi a creditore occupatam et ὅροις distinctam agricolis venditis, si aes alienum, quod hi contraxerant, pecuniam venditione partam superabat, pro rata minutam esse, sed non plane fundum pecunia credita solutum esse. Creditores enim cum specie emissent agrorum partium fructus, non nisi redimendo fundus aere alieno vacuus fieri poterat.

Haud contemnenda, ut mihi quidem videntur, ea argumenta sunt, quibus probari potest agros nec venire emive nec condonari nec hypothecae nomine obligari licuisse ante Solonis tempus. Quibus argumentis, quantum ego sentio, nihil aliud opponi potest, quam quod ὅρους in agris obaeratorum ponere mos erat. Tantum autem abest, ut hac ex re recte viri docti concluserint jam ante Solonis tempus agros pignori datos debitoribus in servitutem abductis ad creditores pervenisse, ut eidem ὅροι gravi nostrae sententiae argumento sint. Nam si ipsius fundi pars a creditore specie emta fuisset, Solon ὅροις terra Attica remotis non solum χρεῶν ἀποκοπὰς fecisset, sed agros legitime acquisitos divitibus dempsisset. Tali a ratione eum abstinuisse supra demonstratum est. Non igitur agri, sed χρέα (cf. Thalheim, Lehrb. d. gr. R. p. 81 not. 1) tantum, i. e. agrorum fructus a creditoribus specie emti erant. Agros autem si id temporis reapse emi et venire licuisset, creditores sane non fundorum

partium fructus, sed ipsorum fundorum partes jam tunc specie emissent. Itaque ante Solonis tempus agri nec in speciem nec re ipsa emi aut venire poterant.

Reliquum est, ut denuo examinemus locum Aristotelis supra allatum, quem iterum posuisse in rem erit: καὶ δὴ καὶ ἐδούλευον οἱ πένητε[ς τοῖς] πλουσίοις καὶ αὐτοὶ [καὶ τ]ὰ τέκνα καὶ αἱ γυναῖκες, καὶ ἐκαλοῦντο πελάται καὶ ἑκτημόροι. κατὰ ταύτην γὰρ τὴν μίσθωσιν [εἰ]ργάζοντο τῶν πλουσίων τοὺς ἀγροὺς (ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν) καὶ [εἰ μὴ] τὰς μισθώσεις [ἀπ]οδιδοῖεν, ἀγώγιμοι καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ παῖδες ἐγίγνοντο, καὶ ο[ἱ] δα[νεισ]μ[οὶ π]ᾶσιν ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἦσαν μέχρι Σόλωνος (cf. not. 5). Ac primum quidem proxima verba vel, si horum lectionem parum certam ducis, quae leguntur cap. 4: ἐπὶ δὲ τοῖς σώμασιν ἦσαν οἱ δανεισμοί explicationem non habent, nisi agros et fortasse etiam alia bona [20]) hypothecae nomine obligari non potuisse mihi concedis. Nam virorum doctorum sententiam secutus obaeratorum agricolarum fundis, non ipsis agrorum dominis creditores potiri potuisse non negabis. Itaque aut Aristoteles vituperandus tibi est, quod non eorum tantum, qui nihil haberent,

[20]) Diod. Sic. I, 79: δοκεῖ δὲ καὶ τοῦτον τὸν νόμον μετενεγκεῖν ὁ Σόλων εἰς τὰς Ἀθήνας, ὃν ὠνόμασε σεισάχθειαν, ἀπολύσας τοὺς πολίτας ἅπαντας τῶν ἐπὶ τοῖς σώμασι πεπιστευμένων δανείων. μέμφονται δέ τινες οὐκ ἀλόγως τοῖς πλείστοις τῶν παρὰ τοῖς Ἕλλησι νομοθετῶν, οἵτινες ὅπλα μὲν καὶ ἄροτρον καὶ ἄλλα τῶν ἀναγκαιοτάτων ἐκώλυσαν ἐνέχυρα λαμβάνεσθαι πρὸς δάνειον, τοὺς δὲ τούτοις χρησομένους συνεχώρησαν ἀγωγίμους εἶναι. Hoc ex loco colligendum videtur vetitum fuisse Athenis usque ad Solonis tempora aratra aliaque instrumenta ad agrum colendum maxime necessaria pignori accipi. Quod primo quidem obtutu mirum non videtur, cum nostris quoque temporibus ne instrumenta necessaria opificibus aere alieno oppressis auferantur legibus cautum sit. Agricolis autem quid opus est aratro aliisque instrumentis occupatis demptisque qui colantur agris? Praeterea cum per leges liceret, ut ipse Diodorus

quod hypothecae nomine obligari posset, corpora pignori data esse protulit, aut virorum doctorum sententia abjicienda. — Alterum est, ut de verbis ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν dicam quod sentio. Quae si idem valerent, quod ἡ πᾶσα γῆ ὀλίγων ἦν, aut mirum est, quod Soloni poëtae ὅροι πολλαχῇ πεπηγότες ante oculos versabantur, aut verbum ὀλίγων benignius interpretari debemus. Sed ut liceat pro ὀλίγων intelligere οὐ πολλῶν, tamen hoc quoque quin rejiciamus facere non possumus. Satis enim probatum est Solonis tempore populi longe majorem partem agros possedisse, agris nimis divites usque ad Demosthenis aetatem in Attica non reperiri. Itaque verba illa sic interpretor: omnes agri paucorum in potestate erant, cf. Is. VI, 36: ὅπως δι' ἑαυτῶν ἔσοιτο ἡ οὐσία (δι' ἑαυτοῦ ἔχειν idem valens quod ‚in potestate sua habere' apud Graecos usitatissimum erat[1]. Nihil aliud quam hoc verba ἡ δὲ πᾶσα γῆ δι' ὀλίγων ἦν significare posse ex eo quoque perspicuum est, quod Aristoteles haud dubie l. a. quae mala a Solone sublata sint refert. Eisdem verbis in fine capitis 4 redeuntibus iterum philosophus

dicit, in servitutem eos, qui solvendo non essent, abstrahi, quemnam, cum id fieret, instrumentorum illorum possessionem nactum esse putemus? An liberos? At hi aut cum patre venibant aut agris carebant, quos instrumentis illis rusticis usi colerent. Rem publicam? Sed easdem leges, quae creditoribus agros obaeratorum concederent, agrorum instrumentis eos prohibuisse alienum est. Fortasse hic dixerit quispiam: At si agros quoque hypothecae nomine obligari vetitum fuit, debuit hoc Diodorus addere. Sed hic auctor loco allato id agit, ut una in re quantum vituperandi sint ac paene ridiculi veteriores legislatores, quos singulae gentes suum quaeque sibi fingebant, demonstret. Qua in re magis ei fabebant minores res personis eas possidentibus oppositae quam rei familiaris gravissima pars.

indicat quibus rebus populus, ut Solonem διαλλακτὴν καὶ ἄρχοντα sibi eligeret, permotus sit. Scimus autem potuisse quidem Solonem χρεῶν ἀποκοπῇ facta efficere, ut agri obaerati paucorum in potestate esse desinerent, sed de agrorum possessionibus nihil ab eo mutatum esse. Idem in ea valet, quae viri docti de ἑκτημόροις suspicati sunt. Horum condicio nisi a Solone mutata esset, Aristoteli non fuisset causa eorum mentionem faciendi. Nullo autem modo legislator prohibuit, ne pauperes divitibus servirent operamque suam locarent. Hanc solam ob rem, etiamsi aliis permultis gravissimisque argumentis idem doceri non posset, eam sententiam sequi mallem, quam Martin verbis supra (p. 24 sq.) allatis aperuit. Mea igitur sententia ἑκτημόροι in numero eorum, qui ἐπίμορτοι (cf. p. 53) nominabantur, infimum obtinebant locum, cum sexta tantum eorum fundi pars ἄστικτος esset. Mirum quidem est, quod tam multi hoc modo eandem in condicionem adducti sunt, ut suum haberent nomen. Sed magis etiam, ut mihi quidem videtur, mirandum esset, si agrorum possessores servientibus vel fundorum locatoribus, sive magni hi fundi essent sive parvi, semper fere ipsam sextam redituum partem permisissent. Fortasse lex erat Athenis, ne quis supra quinque fundorum obaeratorum partes ὅροις distingueret. — Huic sententiae obstare mihi non videntur Aristotelis verba: κατὰ ταύτην γὰρ τὴν μίσθωσιν εἰργάζοντο τῶν πλουσίων τοὺς ἀγρούς. Divites enim creditores cum totius fere fundi fructus specie emissent, horum potius quam ἑκτημόρων agros fuisse dici potest, quamquam proprietas agrorum cultoribus manserat. Verba autem κατὰ

ταύτην τὴν μίσθωσιν εἰργάζοντο offensioni esse non possunt ei, qui una cum plurimis viris doctis totum illum locum, ergo etiam verba καὶ εἰ μὴ τὰς μισθώσεις ἀποδιδοῖεν, ad idem hominum genus pertinere censet. De debitoribus enim haec omnia dicta esse contendo.

In fine hujus disputationis revertamur ad initium! Prima causa accuratius inquirendi in rerum privatarum ante Solonis tempus statum ea nobis erat, quod Solonem pro tempore quidem populum e miseriis eripuisse veteres scriptores rettulisse reperiebantur, male autem legislator, cavisse videbatur, ne denuo pauperiores in aes alienum inciderent. Frumentum quidem ex Attica exportari vetans ne pauperrimi fame et inopia opprimerentur prohibere studuit, sed agrorum fructuum pretio deminuto simul mediocrium fundorum possessoribus rei familiaris augendae impedimentum afferebatur. Certe hac una lege tantorum malorum, quantis omnes fere cives ante Solonis tempus premebantur, causas in omne tempus tolli non potuisse apparet. Itaque id maxime agendum nobis erat, ut recte exponeremus, qui factum esset, ut tanta in mala populi Attici maxima pars incideret. Invenimus agricolarum miseriae principalem causam eam fuisse, quod usus quidem fructusque fundorum et nomen possessoris, sed non omnia proprietatis jura singulis a generibus concessa erant. Hac gravissima malorum causa sublata non singulos tantum homines, sed ipsos agros liberos se fecisse optimo jure Solon de se praedicat.